


MFöld O.

35.

MFöld. O.

35.



N. O T I T I A
HISTORICA, POLITICA,
OECONOMICA
M O N T I U M,
E T
LOCORUM VINIFERORUM
COMITATUS
Z E M P L E N I E N S I S.

AUTHORE
ANTONIO SZIRMAY
DE SZIRMA

(Sac. Cæs. & Reg. Apost. Majestatis Consiliario
Aulico.)



848

Cassovia,
TYPIS JOANNIS JOSEPHI ELLINGER,
Cas. Reg. privil. Typographi 1798.

Hic Baccho locus, his ultro bonus imperat
arvis,

Nec Regni ulterius curat protendere fines.

VANIER. Præd. Rust. Lib. X.

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA



P R Æ F A T I O.

*M*um Notitiam Historicam, Politicam, Topographicamque Comitatus Zempléniensis conscriberem, rogabant Amici: ut donec opus censuram Aulicam pertranseat, adminus ea, quæ de vinis, viniferisque Zempléniensium locis consignavi, explendæ publicæ aviditatis gratia, distinctim excerpta ederem. Detuli voluntati Amicorum, Notitiamque Montium, et Locorum Viniferorum, quæ in Classem Tokayensium, sive (uti vocant) Hegyallensium, seu Submontanorum veniunt, publici juris facio. Ut bono publico subserviam, quæstionibus Oeconomicis

adaugeo. Ne prolixus fiam, ad Diplomatum congeriem provocatione plerumque facta, pauca nonnisi ex iis profero. Oblectandi denique Benevoli Lectoris gratia, ridicu'a vinitorum, de vinisque nostris adagia intermisceo. Vale Benevole Lector, et fave!

Dabam Ruri meo 19. Martii
1798.

ANTONIUS SZIRMAY.



§ 1.

Descriptionem Montium viniferorum
 Provinciae Zempleniensis a Prin-
 cipe, & per universum terrarum Or-
 bem decantatissimo Tokay monte or-
 dimur; tametsi jure meliori Tarcza-
 linenfis dici deberet, tum a subjecto
 in occasum Oppido Tarczall, tum
 quod majores nostri Pannoniam occu-
 panes illum sic a strenuissimo milite
 Turzoll nominaverint. Uti ex Ano-
 nymo Belæ Regis Notario Not. Histor.
 §. 7. ostendimus, qui cap. 16. sic habet:
 „ Onudu, & Rettel, nec non Tur-
 „ zoll, transeuntes sylvam juxta flu-
 „ vium Budrug (Bodrogh) equi-
 „ tando; qui bravium accipere volen-
 „ tes, super equos velocissimos curren-
 „ tes super verticem unius altioris mon-
 „ tis ascenderunt. Quos Turzoll
 „ miles strenuissimus antecedens cacu-
 „ men montis primus omnium ascendit,
 „ & montem illum a die illo usque nunc

Mons
Tokay.

„ montem Turzoll nominaverunt,
 „ & in eodem loco more Paganismo
 „ occiso equo pinguisimo magnum Al-
 „ damás fecerunt. „ Eminent is in-
 ter duo Oppida Tokay, & Tarzall,
 solusque e planitie campestri atto li ur.
 Brachia extendit in diversissimos clivos,
 opportunumque vitibus præbet hospi-
 tium. Usque ad dimidium mera vesti-
 tus vite est, ad summum præceps, in
 vertice convexus, & calvus, unde &
Kopafz-tetõ, sive **Calvus ver-**
tex nominatur. Vulgus striges eo
 convenire noctu solere, choreasque du-
 cere fabulabatur. Reperitur in Tabu-
 lario provinciæ publicus, uti vo-
 cant, processus, sive causa judiciaria
 de An. 1703. contra sagas illic choreas
 ducentes, cumque & puella quadrage-
 naria in examen traheretur, seque cum
 Diabolis ob provectam suam ætatem
 saltasse negaret; Notarius Comitatus
 Franciscus Keresztes faceti vir ingenii
 examini annosæ puellæ illud Anecdo-
 ton subjecit: NB. *Negyven esztendõs le-*
ányyal már az ördög sem akart tán-
tzolni! quod nempe cum puella qua-
 dragenaria jam neque diabolus saltare
 voluerit, Pars orientem, & occiden-
 tem versus procreat vinum mediocris
 qualitatis, quamvis & hic excellant Cli-

vi Meleg-Ódal, & Aranyas. Optimum profert fructum pars meridionalis, vocaturque Mézes-málé quasi Mellea-placenta. Posterioris fortis vina sunt, quæ septemtrionem versus gignuntur. Solum in vertice lapidosum est, a dimidio usque ad imum resolutum, & friabile, ex arena, sabulo, & argilla mixtum. Intime sub terra mons totus saxosus est, sex tantum scaturigines in eo, tres ad Tokay, totidem ad Tarczall reperiuntur.

§ 2.

Tokayensem sequuntur alii viniferi ^{Montes} montes Hegy-allya dicti, qui ab ^{Hegy-}oppido Bodrogh-Keresztúr porriguntur in ^{allya.} septemtrionem, & brachio uno protensi versus occasum tenent radicibus Oppida Zombor, Mád, Tállya, altero in orientem sistent sub se serie perpetua vicos, atque Oppida Kis-falud, Szeghy, Erdö-Bénye, Liszka, Tólcsva, Vámos-Uj-falu, Zsadány, Sára, Olafzi, Petrahó, Patak, Ardó usque ad Sátorallya-Ujhely, ubi mons Magos-hegy ex eo præ cæteris notabilior: quod hunc ignivomum olim fuisse crater, & copiosa circa eum Lava prodat. Montes hi omnes una solum valle a To-

kayno monte dirimuntur pari passim gloria vini. Discrimen eorum juxta, & nomenclatura suis locis occurret, terræ vero ex qua componuntur, qualitatem Clariss. Joannes Derczény, Ordinarius Comitatus Physicus, erudite sane descripsit in Appendice ad Opusculum, quod de effervescentia vini Tokayensis recenter An. 1797. edidit.

§ 3.

Forum interna Compages. Montium horum internam compagem maxima in parte compositam esse demonstrat ex terra silicea. Unde Tólcsvenses montes Jaspidibus, & Chrystallo adamantibus Bohemicis haud absimili sunt divites, e latere vero montis Tokayensis granatelli eruuntur, ad Patakinum Rubini, sed exigui colliguntur. Auri etiam, & argenti minerarum ad Oppidum Tólcsva sunt indicia, sed nullo operarum pretio, uti in descriptione Oppidi Tólcsva indicabimus.

Memoratu digna est Joannis Ferenczy, Vámos-Ujsalussienfis Notarii, de Jaspidibus in terreno Tólcsvensi inventis An. 1752. ad Divam Mariam Theresiam Imp. & Reginam data, nativo idiomate nostro exarata epistola, Proth. 43. pag. 312. Arch. Zempl. contenta, & per Can-

Cancellariam Regiam ad Comitatum remissa, qua significat semet Jaspides in terreno Tólcsvensi invenisse, fodinamque talium lapidum ibi erigi debere cum maxima nominis Suæ Majestatis gloria: quod tam eximium, & inauditum materiale in ditione Regia adinventum sit. Exemplar etiam lapidis literis inclusit: ut de inventa hac raritate eo certior sit Sua Majestas. Petit autem acclusum lapidem perito politori (*valami jó Slajfernek*) ad manus dari, qui superiorem corticem ope plumbeæ trochleæ (*ólom Karikán*) desummendo pulchre repurget, dein formet ex illo aliquam figuram, sed pulchre, secundum angulos, orbis, vel lineas poliendo, & postquam DEUS multis ejusmodi frustis benedixerit Suam Majestatem (quod ardenti corde precatur) tunc ex frustis ejusmodi tabulæ ad instar speculorum, sed pulchre efformentur, aut ovali forma relinquantur, ut possit Sua Majestas iis suorum cubilium pavimenta exponi, ex minoribus autem frustis diversas raritates (*sokféle ráritásokat*) utpote pixides pro Tabacca Cæsari marito suo, vel nodulos pro tunicis Ungaricis Principum filiorum effabricari facere. Ante triginta annos scribit semet audivisse

(si tamen verum est, *ha igaz*) Venetiis exædificatum fuisse ex lapidibus eiusmodi facellum. Forte ergo ex artificibus illis vivet aliquis? Ex his unum, alterumve advocandum esse. Præmia demum tantæ fidelitatis petit, affinemque suum (*Lörintz György Uramat*) Inclyti Comitatus actualëm Jurassorem, verum Romano-Catholicum hominem reflexioni Regiæ recommendat: ut fiat Judex Nobilium. Favorabile responsum præstolaturus per postam Tokayensem, subnexo etiam in literis ad se dandis observando titulo: „ P. S. *Ezekre lé-
endö kegyelmes jó választását a' To-
kaji postára el-várom tsak illyen ti-
tulussal: Nemes, Nemzetes Ferentzy
János Uramnak, Vámos-Ujfalussi
helység érdemes Notariussának, mint
igaz hlvemnek betsülettel adajsek,
per Tokay, Vámos-Ujfalu.*

§ 4.

Mons
Sze-
rents.

Vicinus his in meridiem est mons eximius Szerentsiensis, per Hungaros a felici Pannoniæ occupatione sic compellatus. Not. Hist. §. 7. & apud Citat. Anonymum cap. 17. pari interjecta valle rescissus, vitifer, quamvis disparis fructus. Brachium unum communicat

nicat cum vicinis pagis Ond, & Golop, alterum vero brachium ad pagum Monok extendit.

§ 5.

Haud minorem laudem meruerunt, qui a montibus Hegyallya recedunt in orientem, & alii vicini, ab Hegyallensibus interjecta dirempti planitie, qui a Bodrogo inter Zemplén Oppidum, & vicos Szöllöske, Lagmotz, Bári, Nagy- & Kis-Toronya ab occasu, ab ortu vero inter Czéke omnes viniferi uno, & amplius milliari protenduntur.

Montes vicini Hegyallyæ ab oriente.

§ 6.

Sunt & interamnani montes viniferi in insula Bodrog-Köz, quorum primus est mons Kövesdinus e regione Hegyallyæ, priores non tantum exæquans altitudine, sed etiam iisdem multo amœnior. Duo ejus juga sunt, tanquam capri cornua, & ideo incolis Bakhegy dicitur, ex quorum verticibus totam regionem interamensem usque ad montem Tokay prospicies. Brachium extendit ad vicinum pagum Szerdahely, & per latera vaste colitur vite præstanti, sejunctum exiguam

Montes Insulani Kövesd

gua valle a se habet collem peramœnum, cui arx Kövesd supereminet. Solo superne arenoso, & friabili, interne saxoso, marmoreo.

§ 7.

Mons
Hel-
metz
Szentés

Hunc altitudine, & nobilitate vini subsequitur **Helmetzinus**, amœnitate autem præit. Rotundior enim est, & ita planus in summo: ut majori commoditate non tantum in orientem usque **Munkáts**, & meridiem usque **Debretzinum**, sed etiam in septemtrionem usque **Carpathos montes** prospectum exhibeat. Pedem unum occidentem versus extendit supra vicinam possessionem **Szentés**, ubi etiam vite colitur. Cæterum hic saxo in laminas per naturam ita discisso abundat: ut si ars naturæ accederet, elegans sane stratum pavimenti ædifficiorum suppeditaret.

§ 8.

Mons **Krivostyán** discedit ab his extra Insulam septemtrionem versus miliaribus quatuor, estque in finibus provinciae **Ungensis** in ripa **Laborczæ** amnis ulteriore, qua ex ditione **Homonensi** egreditur. Longior est, & pulchre

chre objecto in meridiem latere, tenetque vineas nitidi potus gratia commendabiles.

§ 9.

Vicinus priori in occasum, & uno Labortza tantum interfluente diremptus est mons Barkó, fastigio, longitudine, & vinearum similitudine priori proxime accedit. Est ei a septemtrione rudus arcis sui nominis, de qua multa in Notitia Historica Comitatus diximus, & adhuc in descriptione loci Barkó dicemus.

Mons
Barkó.

§ 10.

Præter hæc juga vitifera, sunt etiam Oppidi Gál-Scéch incolis in exigua montis Dargó parte suæ vineæ, sed quæ nec in censum venire merentur. Oppidorum quoque Varanó, & Homonna, ac pagorum Nagy- & Kis-Domássa montes, vitem (uti conscriptiones perhibent) adhuc anno 1732. ferebant, sed prouti nimis austeram, & ideo a posteris derelictam, ita nec per nos amplius in Classem vinearum Zempleniensium referendam.

Montes
Gál-
Scéch
Varanó
Ho-
monna,
Do-
mássa.

§ 11.

Ostensis jugis, & montibus viniferis, recensenda venit vinorum omnis generis in hac regione fertilitas, & diversitas. Fertilitatem quod concernit; cum mediocri vindemia post singulum fossorem procreetur vas vini, tres urnas continens, calculo a numero fossorum ducto mediocri vindemia procreantur facile 80. & amplius millia doliorum vini, sive urnarum 240. millia. Ex his *primæ Classis*: sunt: Tállya, Ond, Rátka, Mád, Zombor, Tartzall, Tokay, Bodrog-Keresztúr, Kisfalud, Szeghi, Liszka, Erdő-Bénye, Tólcsva, Zsadány, Petrahó, Patak, Vámos-Ujfalu, Sátor-Ujhely, Olafzi, Kis-Toronya. *Secundæ Classis*: Monok, Szerents, Bekecs, Kövesd, Szentes, Király-Helmetz, Zemplén, Szöllöske, Csernakó, Nagy-Toronya, Bari, Lagmotz. *Tertiæ Classis*: Krivoslyán, Barkó, Gál-Széch.

§ 12.

Sicut autem situ, & nomenclatura, ita bonitate, & virtute differunt. Dulcissima, & fere optima sunt Tartzaliensia ex Mezes-mal, Tokayensia, & Ma-

Eorum
quali-
tates

Madenſia. Maxime ſubſtantioſa Tállyenſia, quæ joculari ſermone in Concilio etiam Tridentino approbata dicuntur. Zomborienſia omnium fere fortiſſima. Szeghienſia, & Zſadánienſia maxime aromatica. Tólcſvenſia, & Bényenſia diu iſſime durant, nec quidquam commiſſa mari capiunt vitii. Reliqua cum Inſulanis paulo omitiora. Laudant etiam ſuum Gál-Széchiennes, Krivoſtyániennes, & Barkóviennes vinum, quia nimis limpidum, & miros ejaculatus in bibentibus excitat.

§ 13.

Traditio de vinis Tállyenſibus in Concilio Tridentino approbata originem inde habet: quod Cardinalis Georgius Dráskovichius, Colocienſium Archi-Præſul, tunc Epifcopus Quinque Eccleſienſis An. 1562. ad Sacrum Concilium ex parte Regni Hungariæ delegatus Tállyenſe vinum de meliori grano ſecum attulerit. Accidit forte: quod prandio cum reliquis purpuratis Eccleſiæ Patribus a Summo Pontifice exciperetur, edebatur, bibebatur, jucundabatur. Sæpe Corona in Domino, vina Champaniæ, de Lachryma Chriſti, & ſexcenta alia longa ferie adlata dilauda-

Tradi-
tio de
vino
Tál-
lyenſi.

dabantur. Profert & Hungarus Præful
 suum Tállyense Italica longo intervallo
 post se relinquens, Sanctissimoque men-
 sæ Præfidi prisca Hungarorum sinceri-
 tate propinat. Degultat hic nectar
 hocce cœlicum, & an per cœlestes
 genios adlatum? vel unde? rogat. Ex
 Tállya reponit ille. Non potuit
 Summus Sacrorum Antistes bonitate
 potus pene sibi creptus non exclamare:
 Summum Pontificem Talia vina de-
 cent!

§ 14.

**Firma-
 tur
 Testi-
 moniis.** Traditio hæc provincialium non ca-
 ret legitimo testimonio. Recenset hoc
 factum Joannes Bocatius, Consul Casso-
 viensis, Tridentino Concilio cœvus,
 Hungaridos Libro II. Bartphæ An. 1599.
 impresso, qui sic habet:

Hungara ni Getici sentiret acinacis iras,
 Nonne satis felix terra vocanda foret?
 Ut taceam reliquas, queis cœlitus aucta su-
 perbit

Dotibus, est sapido nobilitata mero.

Incola qua passim generosas educat uvas,
 Est locus, Hungarice TALLIA nomen
 habet.

Hinc Bacchi latices abvexerat Hungara tellus,
 Dulcia Pontifici dona ferenda tuo.

Mox

Mox Pater admiscens cupidis nova pocula
labris,

Laudat, & unde liquor sit bonus iste? ro-
gat.

Hungarus huic Præful, cui nota locique, me-
rique

Conditio: est matri TÁLLIA nomen, ait.
Gratulor ergo mihi Papa dicit, TALIA nobis
Vina, Patrem Sanctam TÁLLIA vina de-
cent!

Item Samuel Timon in notione Ty-
bisci de vino Tállyensi:

Permaneât, vigeatque hujus laus summa
Lyæi,

Summum Pontificem TÁLLIA vina decent!

§ 15.

Sed & de reliquis sua sunt Provin-
cialibus adagia Ungarica, & Latina. De
reliquis
vinis
adagia.
Ex his ut notiora de *Mád*, de *Tállya*,
de *Keresztur*, velut petulca præteream,
memoratu magis digna sunt sequentia:

De Vinis Hegyallensibus in genere:

Visebat Bacchus totum sua Regna per orbem,
Dispiciens: præstent quæ meliora mero?

Denique *Tokkaji* claram progressus ad oram,
Vidit & hisce locis culmina sacra sibi.

Obstupuit: quod delicias adametque, feratque
Zemplén, jam gelido terra propingua polo.

B

Post

Post *Cervum* (a) scandit, montanaque cir-
cumspexit,

Quæ *Máda*, quæ *Tartzall*, quæ quoque
Zombor habet.

Amplius obstupuit sua dona, locosque meraci
Oreque mox fudit talia verba suo:

Campanos colui, & *Chios* per tempora multa,
At demum æternos hic mihi figo lares!

De vi medica vinorum Tokayensium.

Aldott Tokai bor, he jó vagy, 's jó valál,
Hogy tsak szagodtól is el-fzalad az halál.
Mert fok beteg téged mihelyt kezdett inni,
Meg gyógyúlt, noha már ki akarták vinni.
Istenek itala, halhatatlan Nectár!

A' holott Te termesz, áldott az a' határ!
Bár tsak a' sivatag homokok között is
Fakadna olly forrás, ha nem több, tsak
ött-is

Honnét az Orvosság folya mint a' Tisza,
A' mellynek a' vizét fok ember 's hal ízfza,
Be fok beteg menne ennek a' partyára,
'S teli szivná magát piótza módjára!

De Tokayensi.

Tokkajum suprema tenet fastigia vini,
Sed *depressa* (b) cave, pocula *celsa* cape.

De

(a) *Sarvas*, collis vitifer præcipuus Tartzalini.

(b) Nam in humilibus locis vilis nascitur.

De Tartzall.

Vinum de *Tartzall*, a' melytül az ember leborúl artzal.

De Zombor.

Vinum de *Zombor*, már azt lehet mondani hogy bor!

De Lifzka.

Sarmata *Lifzkanis* degustat pocula cellis
 Suspirans: *Utinyam plyurima Lyiska fo-*
ret! (c)

De Olafzi.

Huicce loco belle nomen dedit *Ittala* tellus
 Gignit enim *Aufoniis* æmula vina cadis.

De Tóltsva.


Èvan *Tóltsvensis* quoniam vel *Cæcuba* vin-
 cit. (d)
 Est bonus, at melior, quia permeat æquora
 salvus.

B 2

De

(c) *Lyiska*, Polonice vulpes. Molliter pronunciant Poloni litteras u. l.

(d) *Cæcubum* vinum olim apud Romanos suppar *Tóltsvensis*. Ita HORAT. *Cæcuba vina ferens Alcon Chium maris experts.*



De Patak.

Quam multis tantum non ridet *Bodrogus*
 amnis,
 Quantum ex Flumineo (e) parva lagena
 cado!

De Bénye

Vinum de Bénye; a' mellytül a' Lengyel
 azt mondgya: *Ennye!* (f)

De Ujhely.

Doliola Ujhelii non sunt ita prisca falerni,
 At crebro seris gratia rebus inest.

De Szerents.

Huic equidem perfecta foret *fortuna*; sed illi
 In patria lingua littera summa deest. (g)

Unde tritum illud Hungaricum:

Vinum de Szerents, Lengyelnek meg se je-
 lents.

De Monok.

Non placeat cuncto hic Bromius si forte palato,
 Gaudet heris se non displicuisse suis.

De

(e) *Patak* Ungarice *Flumen*.

(f) *Ennye!* particula admirantis.

(g) *Szerentse*, sive fortuna, nam ob *Hegyallensia*
 exiguam habet *disfractionem*.

De Toronya.

Hoc multi laudant, aliqui nec Nobile dicunt,
Jurgia contemneus Sarmata sæpe rapit.

De Kövesd.

Quod de Kövesdi mittit vindemia monte,
Est Bodrogani gloria prima soli.

De Bári.

Vinum de Bári, addig vólt hires, még éltt
Makripodáry. (h)

De Krivostyán.

Est variis titulis alter pretiosus Iachus,
Dote salutifera sum pretiosus ego. (i)

De Barkó.

Exterus ignorat, qualem det Barkó Lyæum,
Nam quidquid prælis exprimit, ipsa bibit.

Item:

Vinum de Barkó, mellytül sír nem tsak a'
Tzigány Rajkó, (k)
De visítt tölle még a' Rigó-is és a' Szajkó.

B 3

De

(h) Makripodáry Hyacinthus Episcopus Csanadiensis sub Leopoldo I. Imp. Anno 1659. hoc vino usus fuisse dicitur ex præscriptione Medicorum.

(i) Habet vim Diarhæticam, urinam pellentem.

(k) *Rajkó* Zingari prolem vocant.

De Gálszéch.

In Gál-Széch acetum forte ne puta vile,
Quia vilius erat, quamdiu fuit vinum.

§ 16.

Medica
vis vi-
norum
de uvis
pálsis.

Cæterum illud de vinis harum par-
tium, præfertim quæ de uvis pálsis ex-
primuntur, mirabile: quod singulari me-
dendi vi prædita sint. Corticis Peru-
viani usus in vino hoc exhibetur per
nostros medicos optimo cum effectu. In
deliquiis animi est maximum cordiale.
Pro effectis confortans, roborans, &
revera lac senum, moderate, præfer-
tim vesperi sumptum ad proliferationem
plurimum conducit. „ Depulsum ejus
„ haustu lethargum, calidas, quartanas
„ item curatas febres, sedatam plurimum
„ horarum phrænesim, hominemque
„ sibi ita redditum: ut supremo rite
„ comparari potuerit agoni. „ Dudum
ante me Thúrótzy in Hungaria suis
cum Regibus Anno 1743. compendio
data adnotavit, & ego in me ipso ex-
pertus sum, quin & effluens e scissa
hac vite humor salubris est. (1)

§ 17.

(1) Morbos oculorum sanat, æstivo ardore perustos
vultus reficit, potus calculo medetur.

§ 17.

Tanta tamen est in disquirenda vini hujus medica vi Medicorum nostrorum oscitantia: ut cum Stephano Veszprémy Medicinæ Doctore in Medicorum Ungariæ Biographia Cent. altera parte priori pag. 116. „ mirari neutiquam desinam: quod vinum Tokaynum omnium fere Mortalium consensione, reliquarum totius Europæ provinciarum vinis præstantia anteferendum, nemo unquam Civium nostrorum in hanc usque diem lege artis, ut meruerat, & debebat, quantum quidem scire licet, rite examinaverit, & usum Physico-Medicum nos edocuerit. Fontes Ungariæ medicatos plures nostrum singularibus libellis descripserunt, varios naturæ thesauros, & alia; cur in decantatissimum o! populares dulcissimi, ac vere Divinum liquorem, Hungariæ profecto nectarem, & plus quam Nepeuthis elogio dignum, solius naturæ beneficio in montibus Tokayno cinis parari solitum curatius inquirere „ amplius negligemus?

In ea disquirenda Medicorum nostrorum oscitantia,

§ 18.

Recen- Publicarunt equidem plures viri Cla-
 sio rissimi dissertationes suas de vino To-
 Opus- cayensi, utpote:

culo- Paulus Keler, Bartphenfis, de vi-
 rum, de vino neis Hungariæ Thorunii 1712.

Tokay- Joannes Matolai, Vetusolienfis, dis-
 ensi quifitionem Physico-Medicam de vini
 edito- Tokayensis cultura, indole, præstantia,
 rum. & qualitatibus insertam appendici Ac-
 tor. Nat. curiosor. Vol. VII.

Bartholom. Zarubal, Metamorpho-
 fes seu natales Poeticos Submontanarum
 superioris Hungariæ Urbium, ac vinea-
 rum Casovtæ 1728.

Daniel Fischer, tractatum Medico-
 Physicum de terra medicinali Tokayen-
 si, a Chymicis quibusdam pro solari
 habita Wratislaviæ 1732.

Adamus Fukker, Tabulam Geogra-
 phicam, montium vitiferorum, utpote
 Tokayensis, Tartzall, Máda, & reli-
 quorum, nec non regionis vicinæ. Epe-
 rielsini 1749.

Samuel Domby, Borsodiensis, Dis-
 sertationem inauguralem Physico - Che-
 mico Medicam de vino Tokayensi. Tra-
 jecti ad Rhen. 1758.

Pe-

Petrus Jœnichius, commentationem de vineis Hungariæ editam Thorunii in 4-to 1761.

Fukker, Casoviensis Medicus, recentiori ævo 1790. Dissertationem Germanico idiomate de vino Tokayensi conscriptam.

Verum dissertationes istæ plerumque inaugurales, & exercitationes saltim Academicæ, ac ut ipsimet viri hi Eru-
diti fatentur, fugitivo calamo, & sine cura conscriptæ sunt; nullus autem horum materiem hanc pro dignitate liquoris nobilissimi Oeconomice, Physice, Chemice, & Medice pro commendatione etiam apud exteros ad lancem rite expendit, & nec a nobis, qui non sumus Medici, desiderari potest, & ideo cura hac Spectabili Domino Joanni de Dertzeny Med. Doctori, & Ordinario Comitatus Physico, qui publicæ expectationi semet hac in parte satisfacturum nobis appromisit, relicta.

§ 19.

Historicæ potius nobis superandæ venient quæstiones: quandonam vineæ his in partibus coli, & quando inclarescere ceperint? Vineas in Hungaria jam sub Pannonis cultas fuisse demonstrat Belius

Quando nam vineæ his in partibus coli ceperint.

in Prodomo. Mentionem Pannonico-
rum vinorum facit Eutropius. De vineis
Pannonicis Claudianus Romanus Poëta
canit anno post Christum natum 423.

- - - - hinc obsidione solutus
Pannonius, potorque Savi - - - -
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exefosque situ cogit splendere ligones.
Agnoscit caufas, & collibus oscula notis
Figit. - - - - & opacum vitibus Istrum
Conferit.

Probum Imperatorem patria Sirmi-
ensem anno post Christum natum 282,
primum in Pannonia vites plantasse,
opereque militari Almus montem apud
Sirmium, & Aureum apud Mœsiam Su-
periolem (nunc Serviam) vineis con-
seville scribit Aurelius Victor. In Di-
plomate antiquissima vinearum est men-
tio apud Katona Hist. Crit. Tom. 3.
pag. 508. „ ubi Magdalina Comi-
„ tis Martini uxor Monasterio S. Petri
„ in prædio Kathariensi constructo præ-
„ dium Mura, mansiones vinitorum,
„ servos, & vineas donat Anno 1163. „
Sed hæc omnia de vino Sirmiensi, Ser-
vico, Danubio Savo, & Muræ flumi-
bus vicino. Soproniensium pariter vi-
nearum antiquissima est tum in Diplo-
matibus, quam Scriptoribus mentio.

Jam

Jam „ Stephanus V. Rex totam vicefi-
 „ mam decimarum tam in blado, quam
 „ in vino per Comitatum Suprun con-
 „ fert Monasterio Fratrum Odinis Cis-
 „ terciensis de Monte S. Mariæ perpe-
 „ tuo possidendam. Anno 1270. Ex
 „ Orig. Tab. Cameræ Regiæ., Idem
 Rex „ Sagittarios suos de Comitatu Su-
 „ pruniensi a solutione tributi, quod
 „ *Koro-Cheber* nuncupantur de vineis
 „ suis propriis eximit., Anno 1270.
 Ex Tom. II. Dipl. Comitis Francisci
 Széchény. Attamen & vineas Tokayen-
 ses ante adventum Hungarorum jam cul-
 tas fuisse non obscure indicat Anonym.
 Belæ Regis Notarius, qui postquam
 Cap. 17. recensuisset: „ qualiter Arpad
 „ Dux, & sui Nobiles ultra montem
 „ Turzoll (*Tarczal*) castra metati fu-
 „ issent in campo juxta fluvium Tucota
 (*Takta*) usque ad montem *Zerenche*;
 iteratis vicibus Cap. 16. 22. comme-
 morat: quod *in monte Turzoll magnum*
Aldomás fecerint, imo Cap. 22. diserte
 dicit: „ quod singulis fere diebus *ine-*
 „ *briati* fuerint propter eventum læti-
 „ tiæ., Jam *Aldomás* apud Hungaros
 non aliud, quam *potum benedictionis*
pro usu capione designat, & inebriatio
 singulis diebus non aliunde, quam a vini
 potu provenire debuerit.

§ 20.

Noviter Vineas tamen has Ao. 1241. Tartaris integro triennio hic commorantibus desolatas, & per Belam IV. Regem deductis ad pagum *Olaszi*, & Oppida *Patak*, ac *Olaszi-Liszka* Italicis coloniis non solum infrauratas, sed etiam vitibus Italicis noviter plantatas Not. Hist. §. 22. diximus. Colonias has ex dittonibus *Venetis* deductas fuisse ostendit inductum ibidem Diploma, quo Cyprianus Comes de Sarus ex mandato Regis Belæ IV. dividit metas *Venetorum* in *Olaz*, & *Potok* Ao. 1252. *Italorum* etiam, ac *Latinorum* nomine veniunt, sive quod Dominium Venetum sit pars Italiae Superioris, sive quod ex alia quoque Italiae parte adductæ fuerint, unde & Oppidum *Olaszi-Liszka* terram *Italorum* idem Rex compellat Diplomate, quo „ pro obtinendo sibi, „ ac animæ felicis recordationis Colomanni condam Regis, carissimi Fratris sui salutis æternæ remedio terram *Lizka-Olozy*, sive (uti Wagner Anal. Scep. par. 1. pag. 303. habet) „ *Italorum*, & *Latinorum* nuncupatam, ad se immediate pertinentem, „ & vineam cum uno litu Curiae in „ *Potok* sine hærede decedentis donat per-

„ perpetuo Ecclesiæ B. Martini de Sce-
 „ pus. „ Anno 1248. Hoc privilegium
 per insultus Cumanorum, & Newgaro-
 rum (quos Claris. Katona Tartaros No-
 gaienses fuisse censet) amissum renovat
 Andreas III. Anno 1290. Colonias vero
 has non alio fine, quam ad colendas
 vineas, & quidem per ipsummet Re-
 gem inductas fuisse patet tum ex me-
 morato per nos Notit. Hist. §. 22. Con-
 vocatorio Regio edicto, tum ex prære-
 censiti Diplomatis verbis: *terram ad se*
immediate pertinentem, tum quia *vini-*
tores Regii compellantur alio Diplo-
 mate, quo idem Rex Bela „ ob reme-
 „ dium, & salutem animæ suæ Fratri-
 „ bus in *Thuruny* S. Augustini Regu-
 „ lam profitentibus quatuor mansiones
 „ *vinitorum suorum* villam inter *Potok*,
 „ & *Oloz* positas donum dat. Anno
 „ 1257. Kaprinay Histor. Dipl. pagina
 „ 203. „ Noviter denique majori in
 parte plantatas fuisse remonstrat ipsa de-
 solatio Patriæ, per quam vineæ etiam
 integro triennio incultæ noviter quasi
 plantari debebant, sed & non obscure
 indicat illud Diploma Stephani V. filii
 Belæ IV. quo decimam partem omnium
 tributorum, per quemcunque exigi con-
 suetorum Episcopo Agriensi addicit, ac
 de Zempleniensi Comitatu sic loquitur:
 „ Item

„ Item decimas vini, *ubi vineæ modo*
 „ *sunt plantatæ*, vel plantabuntur in
 „ posterum, per Decimatores Episcopi,
 „ vel Capituli dicabuntur. Anno 1271
 Ex MSS. Com. Ign. de Battyán.

§ 21.

Argu-
 menta
 depro-
 muntur
 ex spe-
 cie vi-
 tium.

Vitium quoque Tokayensium speciem
 Italicam esse diximus Not. Hist. §. 22.
 eo potissimum argumento: quod hæ na-
 tura, ac specie ab aliis vitibus per Hun-
 gariam plantatis longissime differant,
 dein quod Coloniae ad eas colendas de-
 ductæ fuerint Italicæ, denique quod vi-
 tium Hegyallensium quædam species ho-
 diedum *Rumonya*, sive *Romana* vo-
 cetur, imo quod præcipua earum spe-
 cies, *Formint* dicta, ab Italica voce
For, quæ *Forum* designat, sive Urbe
 aliqua Italiæ *Foro Julio* ditionis Ve-
 netæ, jam nunc Cæsareæ, *Foro-Mi-
 nucii* Italice *For-Mi*, *Foro-Livii* Ita-
 liche *For-Li*, aliisve *Fororum* nomine
 insignitis locis derivationem nomencla-
 turæ suæ accepisse videatur. Societas
 Ungarica Debretzini, quæ anno 1795.
 Ungaricam Grammaticam, Viennæ Ty-
 pis Albertianis proCUSAM edidit, *For-
 mint - Szöllö* Uvam *Formianam* vocat,
 eamque a *Formiæ* Regione amœnissi-
 ma

ma Italiæ derivat pag. 338. Et merito; quia jam Horatius Poëta Romanus illius meminit: *mea nec Falernæ temperant vites, neque Formiani pocula colles.* Lib. 1. Ode 20. Cum tamen species vitis etiam Malvaticæ, incolis *Góhér* dictæ in tractu Hegyallensi reperiatur, a similitudine veri haud alienum est: aliquas species vitium sive ex Morea peninsula promonthorio *Napóli di Malvasia* proventu vini nobili, sive alia regione Græciæ Orientalis ad ditionem Venetam spectante, seu aliis maris Jonii, Adriaticique insulis, ad quas fugiens Rex se receperat, sive horum transportatas fuisse, sive reliquias priorum vitium Pannonicarum supermanfisse.

§ 22.

Sunt autem vitium Tokayensium species præcipuæ sequentes: *For - mint* Uvas dulces succulentas, aromaticas, caudice durabili, & ideo solis ardore maxime torreris solitas, soloque Hegyallensi optime congruentes proferens. *Madarkás* est species Uvæ *For - mint*, sed minor, succo dulci, & spisso, quia per furnos circumvolitantes nimio opere appetitur, ab avibus nomen accepit, prior

Enu-
meran-
tur om-
nes vi-
tium
species,
& ea-
rum
qualita-
tes.

prior vero ad distinctionem hujus etiam *Hályagos-for-mint*, nominatur. *Gó-hér* Uva dulcissima, in uvas quidem passas cito vertitur nobilissimas. Malvaticisque sinu illimas, sed quia cito maturescit, per apes item, vespas, & crabrones ob dulcedinem exfugitur, nulli fere alteri usui deserviens, quam quod vinicularum gulam jam mente Julio exsatiat. Est autem duplex uvæ hujus species, *Török-Góhér*, & *Budai-Góhér* dicta. Prior ex Peninsula Morea, posterior ex partibus Cis- & ultra-Danubianis horsum translata. *Muskatal* uvæ Asiaticæ species, odore nucis *Moscatae*, dulcoris singularis, palmitate non usquequaque durabili, & ideo non admodum propagari solito. *Hárs-levelü* fragrantia eximia, floribus sambuci consimilis, durabilis, succulenta, solo Tokayensi conveniens, spisso quasi melle impinguita, & ideo Solis ardore in Uvam passam optime cum *For-mint*, excoquitur. Huic proxime affinis est uva *Balafánt*, caudice durabili, bacca globosa, succo dulci, spisso, melleo, uvas passas majores producens. *Leány szöllö*, & *Fejér-Szöllö* species inter se non multum differentes, nisi quod prior flavedinem quandam auro concolorem a Sole mutuatur, posterior autem pro-

ctis-

ctissima etiam vindemia palleſcat, utraque alvum promovens, nimis ſucculenta, & ideo præſentiſſimum diſſenteria laborantibus medicamentum. *Polyhoſ* uva carnea, quia uvas numeroſas, eaſque grandiores profert, locis humilioribus per plebejos plantari ſolita, ſed quia ſuccum auſterum, mucedinem facile contrahentem producit, e Nobilioribus vineis exulat. *Róſás* roſei coloris, ſucco tamen albo, ſucculenta, durabilis, ſed non æque dulcis, ac reliquæ ſaporis, vino tamen quotidiano uſui deſervi uro accomodatiffima. *Gerſett* cæruleſcentis coloris, ſucco, & qualitate priori conſimilis. *Purcſin* atro cærulei coloris, denſiſſima bacca, durabilis, ſucco rubeſcente, & ideo præſertim ſi cum cuticula maceretur, liquorem rubrum producens, dulcis ſaporis. *Kecſke - Cſecsü*, uberi Capræ conſimilis, cute ſplendicante, bacca oblonga, carnea, cuticula duriore, dulcis ſaporis, ſucco albo, non alteri fere uſui deſervit; quam quod antequam gelu torreatur, collecta diutius duret pro hyeme repoſita. *Rumonya* ſive Romana priori conſimilis, tantum quod magis lævigata, baccam oblongam incurvatam proferat. *Bogár - ſzöllö*, aliis *Bolgáre ſzöllö*, ſive uva *Bulgarica*, prioribus

C

qua-

qualitate similis, tantum quod colore jam rubescente, jam cærulescente ab iis discrepet. Cæterum species *Rósás*, *Gersett*, *Purcsinn*, *Kécske-Csecsü*, *Rumonya*, & *Bogár-szöllö*, quia magis carneæ, & cuticula duriore sunt, rarissime uvas passas producunt, vel si etiam producunt, a vindemiatoribus non feliguntur, ne macerandæ aureo vini ex uvis passis exprimendi colori officiant. Sunt adhuc species: *Király-édes*, foliis pentagonis, fimbriatis, bacca rariore, fructum nimis dulcem, sed quia prima pullulat, & ideo plerumqueverno gelu absummitur, raro profert. *Fejér-boros*, bacca albicante, densa, succo dulci. *Gyöngy-fejér* priore minor, bacca rariore. *Zöld szöllö*, aliis *Létszöllö*, bacca densa, viridescente, succo dulci copioso, *Görbe-szöllö* bacca oblonga, incurvata, carnea, cute duriore. *Batay*, *Gácsai*, & *Bakátor*, bacca ovali, nimis carnea, durabili, quæ ternæ species ex partibus Trans-Tybianis translatae etiam *All-földi-szöllö* vocantur, solum planum, & declive amant, mustum copiosum profundunt, sed raro, aut nunquam in uvas passas torrentur.

§ 23.

Post Belæ IV. tempora in Diplom-
 matibus usque Annum 1300. non alia-
 rum fere, quam Olaszienſium, Pataki-
 nenſium, & Liſzkenſium vinearum oc-
 currit mentio. Quod argumento eſt:
 eas his primum in locis inſtauratas, de-
 mum per totum montium Hegyallienſium
 tractum longe, lateque propagatas fuiſſe.
 Erat autem ſummum tam vinorum,
 quam vinearum eo tempore pretium.
 In Actis Episcopatus Agrienſis (dum de-
 legatum quoad redemptionem decimæ
 Episcopalis Anno 1779. ageremus) non
 ſine admiratione legimus, temporibus
 Ludovici I. Regis circa annum 1380-
 decem, & amplius nummorum aureo-
 rum millia titulo decimæ vini Episcopo
 Agrienſi ex Comitatu Zemplén prove-
 niſſe. In collectione Diplomatica Cor-
 nideſiana Tom. 3. pag. 167. reperi:
 „ integram hæreditariam poſſeſſionem,
 „ Heüzud vocatam, in Comitatu de Zo-
 „ bouch juxta Ticiam exiſtenteſ, pro
 „ vineis Joannæ, filiæ Thekeus, quas
 „ in villa Potok habere dicebatur, per
 „ Petrum filium Kalad pro ſe, & Ste-
 „ phano Fratrem ſuo coram Capitulo Ec-
 „ cleſiæ Varadinenſis combiatam fuiſſe.
 „ Anno 1295. „ In tanto tamen vini,

Vino-
 rum &
 vinea-
 rum
 pretium
 1295.
 1380.

& vinearum pretio illud mirabile: quod ante duo adhuc Sæcula Sirmiensia vina omnibus reliquis, quæ Hungaria progenerabat, adeoque Tokayensibus etiam antecelluerint; superanda itaque venit nobis ea quæstio: quandonam vina Tokayensia inclarescere cœperint, & ad eam, qua hodie perfruuntur famam, & gloriam pertigerint?

§ 24.

Tonellarum, sive Antalkonum mensuræ, qua hodiedum in dividendis vinis uvarum passarum utimur, antiquissima est in Diplomatribus mentio. Sed mensuræ hujus usus Zempléniensibus æque, ac Danubianis communis fuit. Vidimus Not. Hist. § 33. ex teloniali privilegio Familiæ Nagy-Mihályi per Carolum I. concessio *de una toneilla vini unum pondus* Ao. 1312. exactum fuisse. Magister Willermus Drugeth Comes de Scepus, & Wjvár condito (quod Cl. Kationa Tom. 8. pag. 624. inducit) testamento cavet: „ ut Christianus de Bu-
 „ da de 20. *tonellis* vini, forsitan 30.
 „ marcas valentibus, vel ultra, & Ni-
 „ colaus dictus Ztoian cum pecunia sua
 „ procedens rationem reddat Geri Of-
 „ ficiali suo. Anno 1330. Sed jam

Tu-

Tunellarum est mentio in Belæ IV. diplomate, quo „ formam exigendorum „ tributorum in Jaurino, Abada, & „ Fizegtu præscribit, ut de qualibet „ *tunella* vini Regi denarii 8. Comiti „ denarii 2. solvantur. Anno 1255. Ex Tomo 2. Dipl. Com. Franc. Széchény No. 33.

§ 25.

Vini tamen Tokayensis, locorumque illi adjacentium, ævo nostro optimi, & longe gentium celebratissimi nullus scriptorum usque Nicolaum Istvánfium Lib. 2. circa Annum 1491. facit mentionem, nec Bonfinius, qui sola Pilisientia Dec. 1. Cap. 1. memorat, nec Rauzanus, nec Galeotus Martius, qui in Aula Mathiæ Regis diu versati materiam hanc accuratius pertractarunt, ita nec Cuspinianus in Aula Budensi sub Uladislao II. Rege diutius commoratus, licet alias totus sit in prosequendis iis, quæ ad commendandam Hungariæ felicem fertilitatem conducere videbantur, ne meminerunt quidem. Omnes hi cum Barone Sigismundo ab Herberstein Ferdinandi in Aula Hungarica Legato vina Sempronientia, Sirmiensa, Pilisientia dilaudant. Galeotus Martius scribit:

Vina tamen Sopronientia, Sirmiensa celebriora usque annum 1557.

quod vino Sirmienſi par, aut ſimile in toto terrarum orbe difficile ſit reperire. Cuspinianus vero vina Sirmienſia dicit excellentiſſima, quæ cum Cretico, aut Corſico certare putat vino. Quin imo & Nicolaus Oláhus, qui e Transylvania oriundus poſt exactos in Aula Uladiſlai, & Ludovici II. Regum juvenilis ætatis annos per varios honorum gradus ad Cancellarii Auſtaci primum, deinde etiam ad Archi-Epiſcopi Strigoniensis dignitatem Anno 1557. pertigit, hic inquam rerum Hungaricarum, ſi quis alius, peritiſſimus Tokajenſis quidem vini Cap. 11. facit mentionem, ſed dum celebriora Hungariæ vina enumerat, Tokayenſibus præcipuam gloriam non tribuit. Sic enim habet Cap. 10. in deſcriptione Civitatis Peſthienſis, ævo ſuo emporii tota Hungaria celeberrimi: „ Peſthum Ci-
 „ vitas vinis exoticis, non Sirmicis mo-
 „ do, iisque optimis (quæ perinde ac
 „ Cretica ſunt) dulci ſapore præſtanti-
 „ bus, ſed & Baronianis, Somodianis
 „ celebris. Eo conveniunt magno nu-
 „ mero Poloni, Sileſitæ, & plereque
 „ nationes externæ, in eaque vina mer-
 „ cantur.

§ 26.

Verosimillimum itaque est: vina Tokayensia tunc primum inclarescere cœpisse, dum circa annum 1560. vineas primum trina fossione excolere, vindemiam in proveciorem aut autumnum differre, dein circa annum 1650 uvas ardore Solis, & superveniente gelu marcidas, quas jure merito *passas* vocant, a reliquis distinguere, hisque ad instar viscosi mellis conculcatis generosum mustum superfundere longa experientia edocti incolæ cœpissent. Contigisse id circa annum 1650. vel non longe ante, lex Art. 79. 1655. indigitat: „ Civitates Submontanæ repræsentant: qualiter ex vineis Civium, ac etiam Nobilium in promonthoriis Dominorum terrestrium existentibus per Officiales eorundem *Uvæ nigræ*, & *passæ*, sive præstantiores colligi, & asportari soleant; quæ tanquam præjudiciosa, ut posthac præcaveantur, decretum est. „ In processu porro Urbariali Tokayensium reproductis Nonatorum, decimatorumque registris evictum est: neque selectionem separatam Uvarum passarum, neque decimationem, aut nonationem earum ante annum 1650. in usu fuisse, sed, & ipse submontanarum Ciuitatum

Quantum
de vino
Tokayensia
inclarescere
cœperunt.

medio Ablegatorum nunciorum Comitibus
 anni 1655. exhibitus supplex Libellus id
 pro argumento habet: „ quod cum pe-
 „ culiari Vinicularum industria, utpote
 „ trina fossione, separataque selectione
 „ uvæ passæ haberi possint; publica le-
 „ ge præcaveatur: ne Domini terrestres
 „ *ex uvis passis* nonam prætere au-
 „ deant. Dominia vero terrestria *se-*
 „ *paratam* hanc uvarum passarum sele-
 „ ctionem, *antea insolitam* bonitati mu-
 „ sti multum detrahere, & quamvis u-
 „ væ præstantiores ab eo tempore, a
 „ quo post annum 1560. vineæ trina fos-
 „ sione excoli cœperant, jam a sæculo
 „ fere præfuerint, mustum tamen ex
 „ uvis talibus præstantioribus expressum
 „ semper nonationi subjectum fuisse, ge-
 „ neralem denique Regni legem, qua
 „ *omnes terræ nascentiæ* nonæ Domi-
 „ nali subjiciuntur, pro se allegabant, „
 & ideo cum vinicolæ uvas passas nona-
 tionem illarum separatam, antea inusitatam
 impediant, selectas talismodi uvas per
 vim etiam auferebant. Ut proinde obex
 abusibus hujusmodi ponatur, lex præ-
 missa condita est, quæ de violenta Uva-
 rum passarum asportatione præcavenda
 sonare quidem videtur; sed Regia Divæ
 Mariæ Theresiæ autoritate nobis cau-
 sam

sam Tokayensium referentibus, ex præ-
 adducto vinicularum suplici libello Co-
 mitiis anni 1655. exhibito, & ea politica
 ratione: ne vinicolæ propter nonam Do-
 minalem a feligendis uvis passis deter-
 reantur, per idque notabilis Regni fun-
 dus deficiat, anno 1779. ita explanata
 est: ne ipsa etiam Uvarum passarum
 nonatio, velut præallata lege Dominis
 terrestribus vetita, usum in posterum
 habeat.

§ 27.

Jam in gratiam exterorum operæ Confec-
 pretium erit enarrare: qualiter nam li- tionis
 quor iste salutaris paretur? Ut uvæ pas- vini
 sæ progenerentur, Cœli cumprimis tem- uvarum
 pestas favere debet: ut vites ad sum- palsa-
 mum usque 24-tam Junii deflorescant, rum
 mense Julio, & Augusti initio statis tem- metho-
 poribus pluviae sint, ut baccæ succum du-
 copiosum imbibant. Post medium Au-
 gusti, posteaquam tertia vice perfodiun-
 tur vineæ, toto mense Septembri, &
 initio Octobris serenior Cœli tempestas
 fulgeat, quæ uvas excoquat. Absit ge-
 lu, & pruina, antequam uvæ ad per-
 fectam maturitatem perveniant, ne ob-
 rigescente caudice circulatio succi impe-
 diatur. Circa medium Octobris pluvia



cuticulam emolliat, subsequantur dies fereni, noctes gelidæ, & pruinosæ, quæ uvam marcescere faciant, torreant, siccant, & assent. Ita *passæ uvæ* circa finem Octobris, & initium Novembris a reliquis seliguntur partim per collectores in ipsis vineis, partim per alios hunc in finem destinatos in oblongis mensis, quarum margines asserculis ita muniuntur, ne succus a latere disfluat, sed per aperturam mensæ in subjectum cadum defluat. Sic selectæ vasis superne apertis infunduntur, inferne vasa perforantur: ut succus densior (Essentiam vocant) in suppositum vasi scaphium destillet. Postquam majori quantitate congregatæ fuerint, curandum: ne longiori, quam par est, tempore asservatæ acescant. Quod tunc evenire solet: si succo non viscido, aut tenuiori imbutæ sint, calidiorque cœli tempestas fermentationem succi promoveat. Conculcandæ igitur viscosæ cujuspiam massæ ad instar, sicquæ conculcatis generosum mustum in una tertia jam fermentans, in duabus vero tertiis recenter expressum superfundendum. Fermentans mustum totam massam ad fermentationem concitabit, recenter expressum autem dulcorem conciliabit. Quantitas superfundendi musti qualitati uvarum passarum adtemperanda.

da. Si ex promonthorio primæ Classis substantiosæ uvæ passæ fuerint, ordinariè tres urnæ quatuor *Puttonibus* (singulus *Putton* 50. justas Posonienses continet) superfunduntur, secus vero major dosis ex uvis passis superadditur. Miscetur sæpius hæc mixtura, donec bene fermentet, crassiorque substantia densi corii ad instar liquori innatet. Ita præparatum mustum aliqui perterebrato cadi fundo distillant: ut nonnisi fæces, crassiorque substantia in fundo cadi remaneat, alii sæpius commixtam materiam cribris lamineis excipiunt, manibusque succum exprimunt, alii denique (quod usitatissimum est) faccis infundunt, pedibusque calcando succum extorquent. Remanenti *brizæ* mustum denuo superfunditur, & post duodecim horas per saccos colatur, obtineturque *Mászlás*, sive *secundarium* vinum Uvarum passarum. *Essentiam* aliqui separatim vasculis infundunt, alii vino ex Uvis passis confecto admiscent.

§ 28.

Ne uvis passis Hegyallensibus, & musto aliud ex vilioribus promonthoriis substituatur, musti, & uvarum passarum talis substitutio lege publica Art. 118.

1723. prohibita est. Vigiliæ undique occasione vindemiæ, & exploratores constituantur, & ut occulti impostores tantocius detegi possint, tertiâlitâs vini talis, aut ejus pretii, vel uvarum ex determinatione Comitatus denunciante cedit, postquam autem mustum effervescit, pro ratione situs, & classis promonthorii, pro ratione item vindemiationis fereno, vel pluvio Cœlo factæ, quodlibet vinum qualitate sua se distinguet, nec fraudes illæ a Zempleniensibus præmetuendæ sunt, quas cum destructione crediti nationis diversitores exercent, dum vina Ordinaria, & neque Hegyalensia arte parato dulcore, qui dein in aciditatem vertitur, corrumpunt, & loco Tokayensium impune plerumque venditant.

§ 29.

Confec-
tio non
possessi-
onariis
prohi-
bita.

Alia lege Art. 12. 1729. „ coemptio
„ uvarum passarum in Regno non pos-
„ sissionatis, per consequens publico,
„ pro casu, quo illis abuterentur, nul-
„ lam satisfactionem dare queuntibus est
„ vetita. „ De hac observationem non-
nullorum § 57. dabimus.

§ 30.

§ 30.

Juvabit hic ipsum etiam plantationis, Plantatio & cultura vinearum & culturæ vinearum Hegyallensium modum exhibere tum in gratiam extraneorum, tum ut in ea describenda observationibus nostris Physico-Oeconomicis utilitati publicæ consulamus. Plantatio vitium Hegyallensium. Plantatio vitium (*Üitetés*) fit egesta primum æstate terra, fossisque ductis, quibus desecti palmites vitium provento autumno, vel ingruente primo vere imponuntur, simantur, aggestaque terra consepeliuntur, ita: ut vertices palmitum ad sex pollices e terra promineant. Sic plantati ordinarie post tres annos propagantur, fructumque ferunt. Interea defendi debent a frigore, mense adhuc Octobri terra aggesta cooperiri, nec nisi exeunte mense Martio adaperiri. Meliori successu fit vitium transplantatio, si nempe ipsi vitium trunci ex alia vinea radicibus effodiantur, consepultoque ipso stipite, palmites in ordinem dispositi e terra promineant. Pessime aliqui sola radice vitis infossa ipsam truncum e terra prominentem relinquunt. Sic enim transplantata, & vulnerata radix alendo crassiori trunco non sufficit; e contra si ipse stipes consepeliatur, & radices succum terræ attrahunt, & ipsi consepulti stipites
 novas

novas radices protrudunt, quæ vitem multo lætius succrescere faciunt. Cæterum ordinarius labor culturæ vinearum sic peragitur: collectione uvarum peracta, trunci, sive stipites vitium teguntur, sive aggesta ex omni parte terra coope-riuntur. Labor iste (*Fedés*) est vineis multum proficiuus, tum quia truncum vitis a frigore brumali defendit, tum quia radices herbarum succum vitis exsugentium evelluntur, tum quia decidua vitium folia permiscetur terræ, quæ dein hyeme sub nivibus macerata, putrescentiaque glebam fœcundio-rem reddunt, radicemque vitis analogis particulis humectant. Primo vere initio mensis Martii adaperiuntur vineæ, sive terra ad stipites aggesta amovetur. Suffodiuntur iterum per hunc laborem (*Nyitás*) radices remansæ herbarum, quæ vitis succum exsugerent, stipesque ad pertus libere pullulat. Scinduntur expositi palmites (*Mettzés*) horizontaliter ita: ut nonnisi proximæ duæ trunco gemmæ relinquantur. Si altius amputentur, fructum quidem illo anno uberem proferunt, sed subsequis annis exiguum vel nullum, ac ipsum etiam truncum vitis per novi stipitis efformationem informem reddunt. Altior tamen hæc amputatio fit in senioribus vitibus, quæ subiequo anno alioquin

quin interituræ, vel ejiciendæ viniculis videntur. Unde peritos culturæ operarios hic labor requirit. (m) Amputationem hanc sequitur, vel pro re nata etiam præcedit propagatio vitium (*Bujtás, homlítás*) quæ vites multiplicat, & vineam fœcundiozem reddit. Fit hæc egesta fovea, ubi vites in ordine dispositæ sunt, oblonge ducta, ubi vero sine ordine plantatæ sunt, plerumque fossa triangulari, aut quadrangulari, cui ipse truncus, sive stipes vitis profundius immergitur ita: ut palmites sive in triangulum, aut quadrangulum, sive in rectum ordinem dispositi promineant, aggeritur fimus, terra conspeditur, prostantes vero palmites palis adligantur. Fimus bovinus, vaccinus, ovinus, columbarum, ex putrefacto cespite, aut vegetabilibus meliore cum fructu fiman- dis vineis adhibetur, quam equinus. Hic enim nisi cum alterius speciei fimo, aut cespite permisceatur, intenso suo calore præsertim in gleba arenosa vites

ex-

(m) Consuetudo hæc amputandi optima est, uti recte observat Vanier. Præd. Russ. Lib. X.

----- melior de vite pedata,
 Quo proprio loco fruitur, vindemia pendet:
 Caudice quæ brevior, terræ vicina, reflexi
 Auxilio solis felicius excoquit uvas, &c.

exurit. Propagari autem debent vitium meliores species, quæ ex ipso cortice palmitis jam verno tempore dignosci possunt. *Formint* enim, *Balafánt*, & *Hars-levelü* aurantium quasi præferunt colorem. *Purcsin*, *Bogár-szöliö* & *Gersett* rubescunt. *Fejér-szöllö*, *Rósás*, & *Leány-szöllö* vitium cortex albescit. De his, reliquisque faciliori opera dignoscendis infra faciemus reflexionem, ubi de vindemia agemus. Ipsi quoque propagandi palmites sint succo pleni, ligno intra corticem viridescente, medulla lachrymante, non autem exsucco, & maridi, quos vinicolæ *Lazáltt* vocant. Sic propagatæ vites eodem adhuc anno uberem fructum ferunt, superimpositus vero, & conepultus firmus non tantum radices propagatarum, sed vicinarum quoque vitum humectat, & fecundiores reddit. Durat hic labor usque mensem Julium. Meliori tamen cum successu fit propagatio provento authumno, aut primo vere, tum quia gemmæ ex post pullulantium vitium exiguo contactu decidunt, ante pullulationem vero custodiri non debent, adeoque citius labor peragitur; tum quia maturius propagatæ vites lætius pullulant, directioneque palmitibus crescunt, tum denique quia pullulantes jam, altiusque prominentes

nentes nondum propagatas vites mense Majo insectorum quædam species perforat, & depascitur. Species hæc insectorum est colore viridi inaurata, autennis nigris. Lineus illam Curculionem Alui, vinicolæ *Illonka* vocant. Exeunte mense Aprili, & ineunte Majo prima fossura vinearum peragitur, tum ut a pullulantibus aliis herbis vineæ repurgentur, tum ut perfossæ vites lætius crescant. Cavendum in hac, aliisque subsequis vinearum fossionibus: ne perfossio post decedentes pluvias immediate fiat. Sic enim propulsus e terra ardore solis copiosior, calidusque vapor vites aduret. Perfossis sic primo vineis incutiuntur pali: ut succrescentes teneriores palmites contra vim ventorum defendant, ac postquam vites defloruerint, palmites palis adligantur cariceti specie (*Sás*) quæ in vicina insula *Bodrog-Köz*, paludibusque in copia crescit. Herba hæc ligatoria prævie madefieri, & præcedente adhuc anno demeti debet. Nam cum prima vinearum ligatura ad eam altitudinem nondum excrescit: ut longitudine sua palmites ambire possit, teneriorque adhuc per dilatantes semet palmites facile rumpitur. Pessimo etiam cum successu per nonnullos avaros vinicolas ligantur vites, antequam deflorescant,

D

cant, vel in ipsa florescentia, argumento illo: ut contra vim regnantium tunc vel maxime ventorum defendantur. Damnum enim illud, quod venti decussis quibusdam tenerioribus palmitibus causant non est tantæ considerationis, quantum infertur fructibus vitium, si ligatæ constringantur, per idque sive in ipsa florescentia pollen florum detergatur, sive ante efflorescentiam ligatis vitibus pollen præfocetur, liberque meatus aëri, ut farinam genitalem ex uno flore ad alium deferat, intercludatur, & actus generationis vegetabilis hujus præpediatur. Sic ligatas vites, vel si copiosæ etiam pluviae pollen florum detergant, observatum est exiguum fructum proferre, unde jure merito vinicolæ Hungari *abligurimum* tunc fructum vinearum dicunt (*El-nyellett a szöllö*) Ipsa provida natura parens ventos tunc, dum vites florent, ordinavit: ut per hos pollen florum ad conceptacula, stigmaque genitale fœmineum floris deferatur, & ideo ipsam ventorum causam in efflorescentia vitium optime posuit. Exhalans nempe ex floribus vitium copiosum acidum gas ad tam sensibilem motum concitat reliquum aërem: ut æquilibrio ejus turbato vina etiam in cellariis turbari, & ad novam fermentationem concitari

citari observatum fit; unde circuli quoque vasorum florentibus vitibus vel maxime rumpuntur, sedulamque inspectionem vina præsertim noviora requirunt. Deflorescentibus vitibus altera fossura (*Forgatás*) peragitur exeunte mense Junio, & ineunte Julio ita: ut usque 20. Julii terminetur; expost enim urente Canicula si fodiantur vineæ, folia vitis, ipsique fructus aduruntur, flavescunt, siccantur, decidunt. Cum medio Augusti altera vice ligantur vites decerptis palmitum summitatibus, laborque hic vocatur: *igazgatás*. Decerptio hæc verticum ita fit: ut justæ palmitum altitudini propagationi deservituræ non detrahatur. Prodest fructui, per eam enim succus ad summitates exuberans retrahitur, & concentratur in imis partibus palmitis, & fructu, quem utrumque ampliori succo imbuit, palmitemque crassiolem, fructum autem succo pleniorlem, grandiorlemque reddit. Pessime per nonnullos decerpuntur a vite ipsa etiam folia. Per hanc decerptionem circulatio succi impeditur, unde & fructus marcescit, decedit, vel immaturus, minutusque redditur. Cum ligatura hac insimul peragitur, vel eam immediate subsequitur tertia fossura (*Harmadlás*) quæ ante annum 1550. non fiebat, sed

prognatæ herbæ omiffa fecunda , vel tertia foffura evellebantur , aut metebantur. Trina foffio multum conducit ad maturitatem fructus , obtinendasque uvas paffas , imo ad mures , gliresque abigendos , qui nidos in non perfoffa fic vinea figunt. Quo citius tamen terminanda eft , ne uvæ jam mollescentes per foffores devorentur. Sequitur custodia a furibus , canibus , rapacibusque avibus , quæ abiguntur clamoribus , frepitu crepitaculorum , maflygum , lapidum ex funda ejectione , fclopetorumque fploffione , vel capiuntur laqueis. Ipfâ vindemia fereno cœlo peragitur , calcatis primum in facco , dein cado uvis , expoft prælo fubjectis. Altera conculcatio in cadis nimis utiliter peragitur , non folum ut remansæ ne fors baccae conculcentur , fed ut uvæ quoquæ paffæ adhuc in *briza* reperibiles conterantur , quæ fecus torculari fubjectæ integræ remanerent. Utiliffimus vero labor eft occasione vindemiæ , fi propagandæ meliores , aut rariores fpecies vitium , tunc ex ipfo fructu vel maxime dignoscibiles fignentur alligata vertici palmitis telæ aliqua lacinia , ligamento ex cortice tiliæ , aut involucro fagopyri. Qua occasione fpecies inutiles , feræque admota ad radicem fecuri utiliter excidentur ,

fecus

secus decidentibus foliis a bona specie dignosci non poterunt, & cum palmitem aliis longe fecundiosem habeant, inutiliter propagabuntur. Sunt præterea extraordinarii vinearum labores: *Oltás* five infitio. Fit hæc defecto vitis, & fisso trunco, sicut in arboribus, cui palmes ex alia vite melioris speciei imponitur: ut trunco plene adhæreat. Locum obtinet plerumque in plebejorum vineis, qui speciem viliorem sic meliore permutare volunt. E Nobiliorum vineis exulat ideo vel maxime: quod per collectos vagos fossores infitionis factæ ignaros, quamvis palis per transversum positus signa infitionis ponantur, infiti truncis palmites facile decutiantur. *Födelés*, seu stipitum aggesta nova terra contectio, quæ fit in cacuminibus montium, ubi vehementia imbrium abrepta gleba ipsas radices vitium denudat, palmitesque ita humiles reddit: ut jam neque propagari possint. Fit detracta, vel apportata nova gleba congesto in cumulos, putrefactoque cespiti commixta mense Novembri, quæ demum fecundatis hyeme radicibus vitem læte pullulare, palmitesque altius crescere facit. Inter extraordinarios labores refertur saxorum quoque, & lapidum exportatio, quæ minimo impendio per-

agitur per operarios occasione propagationis firmum in corribus apportantes, si evacuatis corribus redeundo lapides exportent. Aliqui hos pessima œconomia in effossas profundiores scrobes (*Liktor verem* vocant) sepeliunt. Per id enim non solum ædificia requisito materiali privant, sed & fundum vineæ rursus saxosum reddunt, novosque ex scrobibus lapides eruendo laborem multiplicant. Alii vineas ex erutis lapidibus in contignationes struunt, (*kö gát rakás*) quæ utinam ex omnibus vineis exularent! fossæ enim transversim, & a latere ductæ minore sumptuum, & materialium impendio tantum præstarent, nisi forte extraordinarium præcipitium loci aggerem talem requireret. Labor omnis vinearum peragitur aut soluta operariis per ipsum vineæ proprietarium diurna mercede (*Napi-szám*) aut conventionem cum viniculis de quolibet labore perficiendo summam (*Szakmány*) inita. Ut fraudes vinicularum præcauantur, plura jam edita sunt per Provinciales *vinearum culturæ regulamenta*. Inspectores publici constituti. Sed per eam provisionem non nisi fures publici multiplicabantur. Modus ergo fraudibus ipsorum obviandi alter non est: quam ut ipse proprietarius laborem quemvis sedulo

sedulo inspiciat, vel per fidum sibi amicum, aut Officialem revideri curet, poenasque a fraudulento vinicola repositat.

§ 31.

In bona quoque conservatione vinorum nostrorum multum situm est. In repletura adhibenda plurimi errant. Prima, & secunda repletura vini horni, si e novi Hegyallensis facienda est ex vino prælis expresso (*sajtolás*) in quantum illud sufficit. Nam hoc fœcibus fere caret, & ideo si cum alio non commisceatur, saporem demum insipidum, amarescentemque, colorem vero fuscum obtinet, e contra si aliis vinis misceatur, illis aroma addit, aromaticis suis particulis ex acino, caudice, granisque baccarum expressis. Exposit vero vina replenda sunt semper vino ejusdem antiquitatis, secus tam novius vinum antiquiora, quam antiquius noviora ad novam, eamque ad invicem difformem, ac ideo acescentem fermentationem concitabit. Pingviora ex Uvis passis expressa nunquam replenda sunt usque ipsum orificium vasis, sed vacuitas unius ad minimum, vel duorum pollicum superne est relinquenda. Cum enim li-

quor iste melleus, oleosusque accrescat, & spissitudine sua elevetur, superne penes obturaculum effluet, ipsumque obturaculum humore a cellario mucedinem contracturo inficiet. Cellaria quoque æstate frigida, hyeme calida, & sicca, una profundiora vinum Hegyallense requirit, proinde exteris, aut Urbanis, qui ejusmodi cellariis destituuntur, vel qui pro usu duntaxat domestico vina Tokaina emunt, aut ea lagenatim distrahunt, præstat vinum Tokainum ex fœcibus detrahere, lagenis hermetice claudendis, sive bene obturandis, sigillandisque infundere, illasque ad arenam in cellario collocare. Sic ultra centum etiam annos suam dulcedinem, aromaque retinentia conservabant olim Poloni florente eorum Statu. Acr externus ad motum per tonitrua, strepitusque Urbanos concitandus velut præclusus ea non turbabit, neque ingredientur corruptionem inducentia e Caseo, putribus, caulibus, aliisque acescentibus effluvia. Arena ambiet requisito frigore. Evaporatio fere nulla, & ideo nec repleturam exigent, nec spirituosæ particulæ evolabunt. Tutæ erunt a famulorum furtis in numerato lagenæ, sigillisque munitæ alio vino repleti, vel misceri nequeunt. Præterea fœcum eximius
 usus

usus erit, quibus superinfundi poterit aliud vinum, obtinebiturque secundarium, sive Máslás, & hoc etiam post sex menses detracto, ex fœcibus exuretur spiritus vini rectificatissimus (*Alcohol*). Cæterum vina nostra in profundioribus, æstateque frigidis Cellariis etiam in fœcibus optime conservantur, nec indigent ulla arte, aut imprægnatione vasis sulphurea, alioquin uredinem pectoris, capitisque dolores plurimis causante. Cum benigna nobis natura parens uvis, & vino Hegyallensi indiderit sufficientem melleam materiem, vivacem spiritum, aromaticum oleum, gratumque odorem, quæ vina hæc, dummodo munde, & sine commixtione cum aliis conserventur, ac putredinosæ, acetosæ, aliæque noxiæ e Cellariis exhalationes exulent, a corruptione tuta præservant, uti recte observat laudatus jam nobis Claris. Joannes Derczény, & Poëta Gallicus dudum cecinit:

. ab albis

Optima sunt, quæ vina fluunt Tocaina racemis:

Dulcis in ore sapor, vivaxque in pectore virtus.

Non humus hanc omnis feliciter educat uvam,
Quæ genus, & nomen servant,

§ 32.

De auri
vegeta-
bilis in
monti-
bus To-
kayien-
sibus
existen-
tia ad-
ducta
testimo-
nia.

Restat adhuc superanda quæstio de auri vegetabilis Hungarici in uvis, & montibus Tokayensibus existentia. Complures hanc affirmant. In Hungaria suis cum Regibus compendio data Tyrnaviæ 1743. & Topographia Magni Regni Ungariæ pag. 480. hæc habentur:

„ In vineis Tokayensibus aurum germinare sæpius observatum fuit, & „ nunc uvis adhærescit, nunc foliis in- „ spergitur, nunc uvarum grana pene- „ trat, certo vites aureas, & grana „ ipsa aurea in partibus submontanis „ reperta Gazophylaceum Viennense „ ostentat. Capreolum aureum circa „ truncum vitis Sirmienlis intortum ad magnitudinem duorum Cubitorum fuisse repertum jam pridem memoriæ tradiderunt Rauzanus in Epit. Rer. Ung. & Galeotus Martius Lib. de dictis, & factis Math. Regis Cap. 27. De auro nativo Tokayensi primus Matthæus Hældius celebris Hungariæ Medicus in Miscell. Nat. Curios. Dec. I. refert: Georgio Rákóczy Transylvaniæ Principi anno 1651. in arce Patakino Tokaino haud longe distita constituto dono apportatos fuisse botros quosdam acinis compactis auri atomis mire splendentes adeo: ut fol-

folliculi, seu membranæ exteriores auro quasi obductæ conspicerentur, dumque de racemis his ab Heldio, una cum Principe ad mensam assidente iudicium expeteretur, eos manibus prius contrectando auri obrizi granis inprægnatos comperisse, idemque labenti tempore Sachſio quoque Wratislaviensi Medico oretenus retulisse. Historiolam hanc Heivinius repetit in observat. ad epistolam itinerariam Tollii, & Kölesérius in Aurar. Rom. Dacica pag. 60. In laudata hac Curioſorum observatione refertur de Martino Henrico Frankenſteinio quoque Poliatro Eperieſiensi: quod ille non modo possederit aliquos acinos circa Tokaynum inventos, auri granis inprægnatos, sed duabus præterea domesticis historiolis ad Sachſium anno 1659. exmissis rem illam uberius illustraverit. Joan. Joach. Bekcherus Metallur. p. I. dicit: se vidisse in Hungaria vitem supra auri venam prognatam, cujus truncus non solum totus aureis velut filis obvolutus fuit, sed & in quibusdam granis, seu acinis auri obrizi granula inventa sunt. Idem Beckerus L. 1. p. 2. Metall. narrat: „ Nobilis „ Hungari *Walpataky* vinitorem invenisse in vinea sua progeneratum dentem, quasi aureum, quem ubi ligone „ de-

„ decussisset, alterum rursus progermi-
 „ nasse. Joannes Paterfon Hain Physi-
 cus Eperiefsiensis de vitibus aureis To-
 kayensibus Ephem. p. 117. 118. sic scri-
 pfit Sachio : „ Generosus Dominus
 „ *Zemere László* Vice-Comes Comita-
 „ tus *Zemplinensis* invenerat anno 1670.
 „ in vinea sua uvam, in qua omnes
 „ acini erant aurei, Cuticulam uvæ
 „ attriverat metalum, acini erant per
 „ parva foraminula conspicui eleganti
 „ spectaculo. Uva hæc mihi destinata
 „ in barbari militis direptione una cum
 „ aliis bonis periit. Samuel Székely
 de Doba in literis ad Comitem Cancel-
 larium Nicolaum Pálffy 13. Martii
 1759. datis commemorat Colonelli
 Thomæ Szirmay generum Andream
 Pothornay misisse medio Consiliarii
 Kuttersfeld Cæsaræ Majestati circulum
 aureum ex auro nativo viti Tokayensi
 adhærentem, septem ducatos ponderan-
 tem. Matthias Belius in Prodromo
 iconem quoque vitis talis Tokayensis
 exhibet.

§ 33.

In
 Chry-
 sim vo-
 cantur. Regium Cimeliarchum Vindobo-
 nense aurum vegetabile instar fili con-
 torti e terra prognatum, & in vico
Tár-

Tárcza quarto lapide a Civitate *Fperiesiensi* disito repertum asservans (quod scriptor *Ungariæ* suis cum Regibus male cum vite aurea *Tokayensi* confudit) & *Clariss. Stephan. Weszprémy* Med. Doctor juxta suæ *Biogr. Tom. 3. pag. 168.* talis auri *Teplitii* in *Scepusio* anno 1772. inventi possessor nos de auri vegetabilis in *Hungaria* existentia dubitare non sinunt equidem; sed tot aureolæ de vitibus *Tokayensibus* *Historiæ* aliam longe subeunt considerationem. Videlicet (uti laudatus a Nobis *Clariss. Weszprémy* erudite pro more suo citato loco differit) dum sæculis sequioribus nescio quo facto *Chemici* quidam magnam auri cum vino affinitatem, & sympathiam esse, eamque ex vegetatione auri in vitibus demonstrare sibi persvadebant, vulgus *Eruditorum* præjudicio partim auctoritatis, partim præcipitantiæ deceptum veram auri vegetantis in uvis firmissime credidit existentiam. Auxit opinionem vulgi id: quod terram *Tokayensem* variis particulis metallicis, aureis imprimis ob præstantiam suam inprægnatam esse minuti *Philosophi* a longa annorum serie crediderint. Adauxit errorem, exterorum quoque opinio: quod ipsi *Galli* viniferis suis in montibus

bus auri, argentique venas latere adstruxerint, quibus nec Tokayenses inferiores esse volebant, ut canit Vanier Præd. Rust. Lib. X.

. tantum ne Gallia munus
Sperne: latet cæcis argenti copia venis,
Ærisque, chalybisque latent, aurique metalla.
Parcite sed Baccho loca commoda, parcite,
cives

Destruere, & tectas, irritamenta malorum,
Divitias ferro sub eisdem quærere terris,
Queis auro melior, vitæ solamen amaræ,
Exoritur contra curas, & tædia vitis.

Sed omnes farinæ hujuscemodi homines egregie refutarunt primus omnium J. A. Raymanus eruditus Eperiefsiensium Medicus anno 1718. dein Daniel Fischerus Kesmárkiensis, ex post Zemplénienfis Physicus in tractatu Medico-Physico de terra medicinali Tokayensi a Chymicis quibusdam pro solari habita anno 1732. Denique toties laudatus a Nobis Wefzprémus citato loco, & in Ephemer. literariis Vindob. 1773 qui instituto examine adfixas cortici exteriori uvarum miculas nil minus, quam aurum esse ex absentia characterum auri essentialium egravitate scilicet, & fixitate in igne maxima, promptaque cum
mer-

mercurio analgamatione, & aureas illas miculas nil aliud: quam ipsum Uvarum perfectiorem succum fervore solis excoctum, in gummosamque substantiam spissatum esse demonstrarunt. Nos ipsi fide Carbonaria majorum decepti, in vinea nostra Madensi uvam miculis hujusmodi auri, & quidem protuberantibus conspicuam anno 1779. repertam esse in Ephemer. Vindob. Kereszturianis vulgari fecimus, sed dum relatio hæc magnam non solum Eruditorum Germaniæ, sed ipsius quoque Regnantis tunc Augustæ attentionem excitasset, jussuque ejus uva hæc a nobis repeteretur, miculæ istæ, auri obrizi colorem præferentes, examini Universitatis Vindob. subjectæ primo statim obtutu pro ovulis certorum insectorum compertæ, & anni 1780. Ephemeridibus declaratæ sunt. Append. ad Num. 87. pag. 526.

§ 34.

Ipsa jam vinifera loca describemus secundum suas Classes. *Primæ Classis* sunt:

TOKAY Oppidum, olim *Tocota*, *Tochol*, *Tokoyd*, in confluente Tybisci, & Bodrogi situm. Unde & nomen

Tokay
Op-
pidum.

men illius Math. Belius derivat. *Tokay* enim Slavis confluentem designare dicit; quamvis id Hungari a *Tok*, & *háj* concretum putent: quod illic autacei capi, & adipe exenterari soliti fuissent. Sed nominis Etymon verius prius videtur Belio: quod cum adventu Hungarorum incolæ loci Slavi fuerint, a quibus jam prius castrum conditum fuisse memorat. Nobis autem derivatio nominis loci verosimillima videtur a præterfluente *Takta*, cum adventu Hungarorum *Tokota* dicto unde & citat. Anonymus locum *Tokay terram juxta Tokota* appellat. Cap. 16. 17. 22. 31. Castrumque terreum *Hymusudvor* vocatum, ibidem per militem *Turzoll* erectum memorat. Cap. 17. Glebam quidem omnis specie frugum feracem haberet, sed qua planum est terrenum, cum eluvionibus Tybisci, Bodrogi, & Taktæ quolibet vere mædeat, qua autem collinum est, cum vite colatur, nullas terras arabiles, sed unice prata uliginosa habet, quod etiam inter maleficia loci censetur; cæterum cum incolæ ex cultura vinearum, & pecuaria non postremum merendi modum, piscaturam adhæc nobilem habeant, insuper ad duo flumina non tantum naves sale Marmatico, lignis,

vi-

victualibusque onustæ, ast ad transitum per fluvios solidis pontibus stratos viæ quoque præcipuæ commerciales Leopoliensis, Pesthana, Cassoviensis, & Transylvanica concurrant, non postremum harum partium emporium est. Incolæ sunt Hungari, Germani, Slavi, Rasci, Judæi. Tempia, & oratoria Romano-Catholici Divo Joanni Bapt. dicatum, item Græco-Catholici, Græci disuniti, Augustanæ, & Helveticæ Confessioni addicti, ac Judæi etiam suam Synagogam propter mixturam omnium harum religionum habeat. Qua Bodrogus cum Tybisco confluens insulam efficit, habebat arcem quadrangulo vasto opere, propugnaculis ad regulam artis muratis munitam, quarum unum ea parte, qua Bodrogus aquas dividerat, solidissimum fuerat, ab auctore Bethlenio Principe Transylvaniæ *Bethlenianum* nuncupatum. Interne prostabat turris, in qua pulvis pyrius asservabatur, mansiones adhæc muratas, & solidas, arcis Præfecti, & militis Præsidarii Usibus deservientes complectebatur. Ich-nographiam, & descriptionem ejusdem exhibent non tantum patrii, sed & exteri, Germani, & Galli scriptores. Memoratu digna vel maxime sunt de hoc fortalicio opuscula: Prospectus fortalicii

Tokay in Münsteri Cosmographia. Meifner. Zeiler. Gualdo in Hist. Leop. Tom. 2. pag. 90. Theatr. Europ. Tom. 9. pag. 1150. Tom. 10. pag. 803. de Fer Force d' Europe Tom. 9. Bodenchr., & Parkenstein. Contrafactura contra fortalitium Tokay in Chron. Ungar. Francofurti in 4. anno 1664. Delineatio Castrorum Cæsarei exercitus ad Tokay anno 1660. in Theat. Europ. Tom. 9. p. 50. Petri Bizari Basileæ anno 1573. Georgii Werhneri Coloniae anno 1595. editæ dissertationes, item Windisch in Magaz. Hung. anno 1782. pag. 332. Kaprinay in Hung. Dipl. Tom. I. pag. 156. MSS. Belii, & Art. 61. 1609. ac plurimæ leges, quæ clarum Tokaynæ arcis, *tanquam Superiorum Regni partium antemuralis* nomen inclamant. Fata, & heros eosdem Oppidum, quos atx expertum est. Ante postremum in Pannoniam Hungarorum adventum possidebant locum Jazyges Metanastæ Slavis permixti, vel ipsi etiam Slavicae originis, aggereque e terra congesto castrum confluyente fluviorum alioquin validum communivisse scribuntur per Belium, & Kaprinay; sed cum antiquissimus scriptor Anonymus nullam castri hujus cum adventu Hungarorum faciat mentionem, ast Tokaynum ter-

ram magnam juxta Tokota vocet; nos natales arcis potius militi Turzol cum citato Anonymo debemus.

Cum adventu Hungarorum terram magnam juxta Tocotam, ad radicem montis ejusdem, ubi Budrug descendit in Thysciam Arpad Dux contulit strenuissimo militi Turzol. Anonym. loco citato. & Not. Hist. § 7.

Anno 1074. Fugiens e conflictu cum Salamone inito Geyza Regii sanguinis Princeps Tokaini refugium quæsit. Bonfin. Dec. 2. Lib. 2.

Anno 1241. devastasse Castrum Tartaros sævientes, quod diu postea destructum stetit, donec a Bohemis Anno 1440. partes has occupantibus instauraretur, memorant Kaprinay, & Bell; sed nos instaurationem arcis Stephano de Debrev deberi censemus. Nam ex post Stephano juniore Rege Patakinum incolente

Anno 1270. Tokay erat vilis possessio Caniferorum Regionum Anno 1290. per Ladislaum Regem Comiti Thomæ, filio Simonis collata, uti testatum reddit sequens Diploma: „ Nos „ Ladislaus DEI gratia Rex Hungariæ „ memoriæ commendantes significamus „ Universis, quibus expedit, pæsentium per tenorem: quod consideratis

„ fidelitatibus , & servitiorum meritis
 „ Comitis Thomæ, filii Simonis, quæ
 „ nobis, & Regno laudabiliter impen-
 „ dit, & devote, quasdam terras Ca-
 „ niferorum nostrorum Luch , & *To-*
 „ *chol* vocatas in Comitatu de *Zem-*
 „ *lien* existen. dedimus , donavimus,
 „ & contulimus eidem Thomæ Comiti
 „ cum omnibus utilitatibus, & perti-
 „ nentiis suis perpetuo pacifice possi-
 „ dendas, sine præjudicio juris alieni,
 „ eo jure, atque plenitudine, quibus
 „ iidem Caniferi dignoscuntur possedis-
 „ se, ita tamen: quod pro prædictis
 „ terris in concambium earundem Ca-
 „ niferis prædictis similes terras confe-
 „ remus. Datum in Mezeö Sumulo
 „ feria 4. post Dominicam Lætare.
 „ Anno 1290. Ex Coll. Dip. Mart.
 „ Kovachich.

Anno 1388. possidebatur per Pe-
 trum Zudar Banum. Ex Proc. Uib.
 Tokay.

Anno 1398. Sigismundus Rex *Ste-*
phano de Debrew pro possessione Kazon
 possessiones Tokoy, & Tarzal cum tri-
 buto assignavit nulla arcis mentione.
 Collect. Wagner.

Stephanus iste de *Debrö* unus ex
 iis Proceribus fuit, qui Sigismundo
 Regi carceri Siklofensi incluso Ladis-
 laum

laum filium Caroli de Duraccio subrogare contendebant. Not. Hist. § 54. 55. ut proinde factionem in Superiore Ungaria opportunis præfidiis firmaret, Anno 1401. munimentum Tokayni ad confluxum duorum fluviorum tumultuario opere renovatum opposuit arci Patakinæ Perenianorum, qui a Regiis partibus erant. Argumento nobis est Diploma Sigismundi, quo per notam infidelitatis Stephani de Debrew *Castra Tokay, Tallia, & Regécz* Georgio Despotæ Rasciæ confert, Tokay jam Castrum vocat, Bonfinius autem collationem hanc recensens Dec. 3. Lib. 3. *Tokay Castellum* compellat, cum illud hactenus semper tantum possessio nominaretur. Possidebatur ergo Castrum Tokay per Georgium Rasciæ, Despotam usque annum 1440.

Anno 1412. Sigismundus Hungariæ, & Uladislaus Poloniæ Reges Tokaini noctem exegerunt. Dlugofs. Lib. XI. Not. Hist. § 61.

Anno 1440. Arx occupata, & instaurata per Bohemos recensetur a Kaprinaio, & Bell; sed alii coëvi, qui castra Patak, Kövesd, & Gálszéch occupata recensent, Not. Hist. § 70. de arce Tokay altum tacent. Rectius itaque concluditur arcem hanc per Geor-

gium Despotam Joanni Hunnyady Gubernatori cessam, & per hunc ad refrænandas Bohemorum Patakinensium excursiones munimentis firmatam fuisse. Cum non longe post illius, tanquam Castri Hunnyadiani.

Anno 1457. occurrat mentio, uti sequens litera ex Tabulario Civitatis Bartpha per nos transcripta perhibet:
 „ Ladislaus de Hunnyad Comes Bisztriciensis Thavernicorum Regalium Magister Egregio Paulo Bakws Castellano Castri nostri de Tokay (hic mandat ablata Civibus Bartphenibus restitui 1457.) vide Wagner Dipl. Com. Sáros pag. 118.

Anno 1460. egregie per Matthiam Corvinum Regem communita. Bell in MSS.

Anno 1469. Donatione Matthiæ Regis possessorium ejus adivit Emericus de Zápolya.

Anno 1490. Albertus Uladislai Regis frater arcem irrito conatu impetiit, cum Poloni hanc oram infestarent. Isthv. Lib. 2.

Anno 1514. Quamvis arx Patakina per feditiosos Crucigeros caperetur, arx Tokay tamen ab insultibus eorum tuta permansit. Not. Hist § 144.

Anno 1526. Comitia hic celebravit Joan-

Joannes Zápolya, arcemque magis communivit. Not. Hist. § 158.

Anno 1527. accerrima pugna ad Tokay decertatum est inter Ferdinandi I. Duces, & Joannem Zapolya. Isthván. Lib. 9.

Anno 1535. acre rursus ad Tokaynum inter Ferdinandi, & Zápolianos Duces prælium. Tandem cum nullo invecto Commeatu obsidionem præsidarii Zápoliani ferre nequivissent, arx per Franciscum Bebek Leonardo Felso Ferdinandi I. Imp. copiarum Duci data est. Isthván. Lib. 12.

Anno 1536. Castellum in Rakamaz per Zápolianos erectum Tokaino oppositum. Not. Hist. § 183.

Anno 1541. Dynastia Tokayensis in præmium exauthlatorum laborum donatione Ferdinandi Imp. *Casparo Serédy* attributa est.

Anno 1550. Sacra Regni Corona per Isabellam Reginam Joannis Zápolya viduam Ferdinando Regi tradita Tokayini hospitata est. Isthván. Lib. 16. & Dipl. Not. Hist. §. 208.

Anno 1556. Franciscus Némethy, Stephani Serédy tutor arcis Præfectus ad Zapolianos descivit, arcemque turpi perfidia Joanni Sigismundo tradidit. Istv. Lib. 19.

Anno 1558 Ditio Tokayina per Stephanum Dersöffy Cassoviensem Capitaneum vastata. Not. Hist. § 226.

Anno 1565. per Lazarum Schwendium glande plumbea trajecto Némethio arx capta. Isthv. Lib. 22. & Petr. Bizar. Basileæ 1573.

Anno 1566 recuperare illam contendebat Joannes Zápolya 32000. Transylvanorum, & Tartarorum arce circumdata, sed Jacobus Raminger, & Matthias Kalvally propugnarunt tam fortiter, & impigre locum: ut hostes, quamquam acerrime rem gerentes recedere cogerentur. Isthv. Lib. 23. & Bethlen Hist. Lib 5.

Anno 1567. Ditio Tokayiensis per Turcas vastata. Isthv. Lib. 24. & Art. 2. 1507.

Anno 1595. possidebatur per Sigismundum Báthory Principem Transylvaniæ.

Anno 1605. quum Georgius Ruberus Præfectus, & milites quot quot habebant equos absumpsissent, nec postremo a felibus, & canibus devorandis cogente inedia abstinuissent, post unius anni obsidionem Stephano Botskaio data est.

Anno 1607. post mortem Bocskaiam collatum est Tokaynum *Georgio Thur-*

Thurzó in 70. millibus Imperialium ob compositos Haydonum tumultos, qui

Anno 1611. fœdus ibidem cum Transylvano pepigit Art. 5. 1613. memoratum. Not. Hist. § 380.

Anno 1621. Sacra Regni Corona iterum Tokayni hospitabatur. Not. Hist. § 404.

Anno 1622. pervenit arx per pacta ad manus Gabrielis Bethlen. Cum quo

Anno 1627. Tractatus hic susceptus. Not. Hist. § 424.

Anno 1630. possidebatur per ejus Viduam Catharinam Brandeburgicam. Not. Hist. § 432.

Anno 1641. per Comitem Joannem Drugeth. Not. Hist. § 461.

Anno 1646. Synodus Evangelicorum hic celebrata. Lampe Hist. Eccles. pag. 397.

Anno 1647. Georgio I. Rakóczy arx cum Dominio attributa. Not. Polit. § 131. cum Petrus Szirmaius Anno 1646. ne arcem Tybiscus alluvione ruinet, meatum fluvii adductis ex Belgio, & Venetiis Hydraulis regulasset. Fasc. 229. Nro. 184. Arch. Zempl.

Anno 1648. Tractatus Tokayni pro reapplicandis quinque Comitatus in sequelam Art. 20. 1647. susceptus. Not. Hist. § 491.

Anno 1663. arx per Germanicum Præsidium tenebatur. Not. Hist. § 538.

Anno 1670. Seditione per Franciscum I. Rákóczy concitata, arx impetita irrito seditiosorum conatu. Not. Hist. § 568.

Anno eodem Georgius Széchény Archi-Episcopus Colocensis Ministrum Helveticæ Confessionis ex Tokay assistentia Cataphractorum Germanorum ejici curavit. Lampe Hist. Eccles. pag. 748.

Anno 1683. per Emericum Tököly occupata.

Anno 1685. per Æneam Caprara Ducem Cæsareum recuperata. Not. Hist. § 656.

Anno 1697. per Franciscum Tokayi concitata seditione assultu capta cæso Germanico præsidio. Not. Hist. § 688.

Anno eodem per Carolum Vaudemontium recuperata Oppido incenso, direpto, incolisque sine discrimine trucidatis. Ibid.

Anno 1703. per Comitem Nicolaum Berchény Francisci II. Rákóczy copiarum Ductorem capta. Not. Hist. § 716.

Anno 1705. ut Rákótzius propter dirutam arcem Patakinam Cæsari vicem redderet, mandato Rákóczii per Commissarium illius Samuelem Patay solo æquata,

æquata, & ne vel vestigium illius superfit, ad eam eluvione aquarum consepeliendam Tybiscus & Bodrogus fluvii per canales versus rudera derivati, qui magno totius circumviciniæ damno per immemorem posteritatem hodie dum ad priores alveos reduci non sunt. Fasc. 230. No. 275. 277. Arch. Zempl.

Anno 1713. promonihorii Tokayensis pars per vehementiam imbrium abrupta. Fasc. 230. No. 283. Arch. Zempl.

Anno 1714. Paræcia Romano-Catholicis restituta cum vineis ad requisitionem Episcopi Agriensis Stephani Telekessy. Fasc. 230. Nro. 281. Arch. Zempl.

Anno 1715. Francisco II. Rákóczio perduellionis convicto oppidum, & Dynastia in Fiscum Regium redacta, hodie dum jure Camerae Regiæ administrantur.

Anno 1770. Immortalis memoriæ Imperator Josephus II. Regna sua peragrans stationem hic habuit. Fasc. 194. Nro. 302. Arch. Zempl.

Anno 1772. Hebdomadales nundinæ huc inductæ. Fasc. 230. Nro. 294. Arch. Zempl.

Anno 1773. Ecclesia Catholica restaurata, & Scholæ nationales introductæ. Fasc. 230. Nro. 299. Arch. Zempl.

Præfactorum porro arcis sequentium nomina erui poterant:

- Ao. 1457. Paulus Bakus. Ut supra.
 1514. Michael Heteley. Not. Hist. § 144.
 1525. Balhazar Lafztóczy. Not. Hist. § 159.
 1528. Stephanus Révay. Not. Hist. § 169.
 1556. Francisc. Némethy. Ut supra.
 1565. Joannes Raminger, & Matthias Kalvassy. Ut supra.
 1594. Franciscus Balassa. Isthván. Lib. 28.
 1596 Georgius Rueber pugna Keresztelsiana vulneratus. Isthv. Lib. 30.
 1590. Claudius Ruffel. Loc. III. Nro. 523. Arch. Zempl.
 1625. Nicolaus Abassy, cui pro fidelibus servitiis per Gabrielem Bethlen inscripta possessio Kinis, in Comitatu Zabólch flor. 5000. Dipl. Kovachich.
 1635. Joannes Kellemessy.
 1637. Baro Stephan. Révay. Fasc. 229. Nro. 175. Arch. Zempl.
 1646. Franciscus Stepán. Not. Hist. § 484. Andreas Kiss Vice-Capitaneus: Ibid.

Ao.

1668. Comes Strassoldo. Fasc. 229.
 Nro. 208. Arch. Zempl.
 1670. Comes Rudigerus Stahrem-
 berg Not. Hist. § 568.
 1685. Martinus Izdenczy. Not. Hist.
 § 652.

Religiosi autem ordines sequentes
 olim DEO Tokayni famulabantur:

Ordinis S. Pauli 1. Eremitæ, pro
 quibus Claustum honoribus Beatæ Ma-
 riæ Virginis dicatum fundavit Emericus
 de Zápolya. Anno 1470.

Destruxit cænobium hoc Gaspar Se-
 rédy anno 1537. coniectis in carcerem
 Vicario, & Fratibus, direptaque eo-
 rum supellectili. Ad dandam facti ra-
 tionem per Imperatorem Ferdinandum
 vocatus, se id ea ex ratione fecisse, re-
 posuit: ne Zápoliani ex Claustro fortali-
 tum efforment. Wagner MSS. Tom.
 I. pag. 127. & Fragmen panis Corvi
 Eremit.

Alter ordo Patrum Capucinatorum
 Tokayni domicilium habebat. Pastore
 animarum tempore revolutionis Rákó-
 czianæ orbatus cœtus Catholicorum To-
 kaiensium, instantissime mediante Chri-
 stophoro Hug à Winterbach, Officii
 Salinarii Tokayensis Præfecto petiit a
 Ste-

Stephano Telekessy Episcopo Agriensi: ut tum pro solatio suo spirituali, tum pro incremento Catholicæ fidei facultatem concedat evocandi ad se ex Austria aliquot PP. Capucinos, qui subinde domicilium ibi figere, & successive Ecclesiam & Conventum ædificare valeant. Annuit precibus instantium Pastor Zelosissimus, non obstante eo: quod jussu Regio novissime restitutus eo fuerit Parochus Catholicus nomine Joannes Kormöczy, adventum Capucinatorum & ipse datis ad Patrem Provinciale literis flagrantissime expetens.


Habito itaque consensu Regis Caroli III. Episcopi, & insuper Camerae Scepusiensis pro tunc Eperiefsini residentis ex Capitulo die 26. Aug. Ao. 1712. Cemsii celebrato P. Gregorius Austriacus pro tunc Minister Provincialis electus designavit cum obedientia Tokainum PP. Joachimum, & Quirinum adjuncto ipsis socio Fratre Elia, qui eo, aplaudetne populo Catholico die 6. Decemb. 1712. advenerunt, & ibi domicilium in æde Ecclesiæ Parochiali legata, eique a Septemtrione contermina fixerunt, in eaque duobus annis commorati sunt.

Anno dein 1714. se transtulerunt ad domum Rákócziano Fiscalem, ex donatione Regia ipsis concessam, & pro Re-

Residentia adaptatam, in quo fundo, & ei vicino Nobilis Georgii Bodony, quem idem Capucinis levissimo 45. flor. pretio cessit, successive jacta sunt fundamenta Ecclesiæ, & Monasterii. Cessit etiam, & quidem gratuito pro area Patribus fundum suum Nobilis Ladislaus Buday de Bølge.

Anno itaque 1716. die 5. Apr. ex delegatione, Comitis Gabrielis Erdödy Episcopi Agriensis fundamentalem pro Ecclesia lapidem posuit Georgius Bizanczy, Munkácsiensis Græco-Catholicus Episcopus, sed productis extra fundamenta ad duas orgias muris ob benefactorum defectum ab ulteriori opere cessare oportuit usque ad Annum 1725. quo Comite Stephano Kóhárý 20000. florenos liberaliter elargiente, & Camera Regia materialia gratuito conferente ædificium Ecclesiæ rursus assumptum, & Anno 1729. perfectum est, consecrante eandem die 8. Aug. ejusdem anni Georgio Zorger Episcopo Tininiensi, & Episcopi Agriensis suffraganeo.

Completo templi ædificio structuræ Monasterii manus admotæ sunt, quod munificentia benefactorum perfectum est Anno 1733. stetitque sub sequentibus Superioribus usque ad Annum 1787. quo die 22. Octobris per Decretum Regium,
&



& Commissarios Gasparum Szikszay, Andream Sigray, Franciscum Nátafalusi cassatum est. Inscriptio porticus illius fuit:

Vix orimur, morimur, sensimque
perimus, & imus,
At quo? nescimus; sed tamen
imus, eo.

Superiores Residentiæ erant sequentes Patres:

	Anno
1. Joachimus Bohemus. - - -	1712.
2. Albericus Oenipontensis. - -	1715.
3. Cyprianus Halensis. - - -	1719.
4. Sigefridus Hungarus. - - -	1720.
5. Florinus Cremfensis. - - -	1721.
6. Crescentianus Baadensis. - -	1724.
7. Agathangelus Slavus. - - -	1729.
8. Crescentianus Baadensis. - -	1730.

Guardiani Patres:

1. Paschalis Jaurinensis - - -	1734.
2. Valerianus Crumloviensis. -	1737.
3. Agricola Palatinus. - - -	1738.
4. Daniel Hungarus - - -	1741.
5. Gregorius Budensis. - - -	1742.
6. Albertinus Passaviensis. - -	1744.
7. Auxentius Sabariensis. - -	1745.

8. Va-

8. Valerianus Crumloviensis. - 1746.
9. Zephyrinus Tyrnaviensis. - 1749.
10. Theodorus Oberzellensis. - 1752.
11. Amantius Gmundensis. - - 1755.
12. Remedius Labacensis. - - 1758.
13. Gervasius Jaurinensis. - - 1760.
14. Cajus Pofoniensis. - - - 1761.
15. Honestus Nyulafsiensis. - - 1764.
16. Amantius Gmundensis. - - 1766.
17. Bartholomæus Galanthenis. 1768.
18. Spiridion Jaurinensis. - - - 1769.
19. Salvius Budensis. - - - - 1772.
20. Francisc. Emanuel Horkensis. 1775.
21. Sifinius Óvárinensis. - - - 1778.
22. Edmundus Köpcséniensis. - 1779.
23. Desiderius Budensis. - - - 1780.
24. Crescentius Budensis. - - - 1783.
25. Synesius Budensis. - - - 1785.
26. Clementinus Sexardiensis. - 1786.

Tertius Ordo fuit Patrum Piarum Scholarum, circa annum 1724. pro imbuenda in literis Juventute huc inductorum, sed sublato Paulinorum Ordine, sublatisque Gymnasiis Tokayensi, & Patakinensi S. A. Ujhelinum ad meditullium quasi Comitatus anno 1788. translocatorum, ubi magno Reipublicæ emolumento juventutem humanioribus literis imbuunt, & ad commoda patriæ formant.

Promontoria vini feracia Tokaini quod adtinet; ea diversitas fitus in tres Classes hic dividit:

1mæ Classis sunt perpetuo Soli meridiano objecta Mézes-málé five Mellea-placenta a terminis terreni Tarcza-linensis usque ad ipsum Oppidum porrigitur. Demum clivi Pakfi, Gyöpös, Németh-szöllő, Hét-szöllő, Barát, Szerelmi, Tapasztó, Bornemisza, Kis-mézes-mál, Kún-hegy, Kóttzag, Kendös, Nagy-Szöllő.

2dæ Classis clivi orientales: Kis-Öfze, Zúgó, Meleg-Ódal, Aranyas a repertis auratis acinis dictus.

3tiæ Classis est plaga occidentalis, & Septemtrionalis, versus terrenum Bodrog-Keresztúr sita. Complectitur clivos: Zúgó, Péchy, Boglyos, Mariás, Keskeny-ág.

In omnibus his clivis nonnisi tres scaturigines fontium reperiuntur. Unde in proverbium Incolis abivit: *Naturam vini copia suplere defectum aquæ voluisse.*

Monumenta antiqua, prout & privilegia loci injuria temporum deperierunt. Unde oppidani ad Maximilianum Imp. & Regem confugerunt, expositisque eidem privilegiorum tuorum dispendiis suplices id consecuti sunt: ut idem Cæsar liber-

tates

tates ipsorum cunctas, atque jura publico Diplomate Anno 1598. restitueret. Confirmarunt Anno 1610. Rudolphus, & Matthias II. Per ea obtinuerunt Oppidani: ut a servilibus laboribus Dominorum eximerentur, sed moderatum solum censum heris suis solverent, jura Municipalia, modos decimandi, & nonnandi vina speciales, jus gladii, liberam vini epocillationem, ac Magistratum e suis delectum peculiarem haberent.

Sigillum Oppidi refert serpentem a Moyse e cruce suspensum, est publici hic Veredarii statio, telonium ad pontes, salis lapidei depositorium, nundinae magna frequentia diebus Conceptae B. Mariae Virginis, nati Joannis Bapt. SS. Annæ, Matthæi, Demetrii, & Thomæ celebrantur.

§ 35.

TARCZALL Oppidum a strenuissimo milite Hungaro *Turzoll* dicto nomen accepit, ut supra § 1. Gleham nigram friabilem, in declivitate omnis speciei frugum, in collinis vero optimi vini feracem habet, sed quam planum est solum, nonnisi 980. jugera terrarum arabilium complectitur, reli-

Tar-
czall
Oppi-
dumf.

quam planitiem prata, & arundines ad fluvium *Takta*, qua autem collinum est, vites occupant. Incolæ sunt Hungari, Romano-Catholicæ religioni, & Helveticæ confessioni addicti, unde utrisque sua sunt templa & oratoria. In Catholicorum Templo visitur vexillum Joannis Vékony Capitanei, qui Patakino oriundus ad victoriam Principis Eugenii Anno 1717. de Turcis reportatam, receptionemque Belgrádi plurimum momenti adtulit, Tarczalinique sepultus est (Vide de hoc Nicol. Schmid. Hist. Ottom. part. II. pag. 442.) Reliqua monumenta injuriæ bellorum deleverunt.

Fata, & heros eosdem fere locus iste, quos Tokaynum, propter viciniam expertus est.

Cum postremo adventu Hungarorum primus locum possedit miles *Turzoll* ex donatione Ducis Arpad, (Anonymi C. p. 16. 17.) subsequente reliqui § præcedente enumerati; præterquam quod

Anno 1603. Sigismundus Rákoczy ex impignoratione Rudolphi Imp. Tarczall distinctim possederit.

Anno 1606. in tractatu Viennensi 23. Junii cum Bocskaiianis habito assensit sua Majestas: ut Oppidum Tarczall

a Sigismundo Rákóczy per Stephanum Bocskay redimatur, & ad Castrum Tokay more antiquo possideatur.

Reliquas vicissitudines loci ab anno 1670. usque ad annum 1700. nativa lingua descripsit Isaac Babocsay Oppidi Notarius scriptor coævus, quas nos ex MSS. ejusdem Latino idiomate per synopsis sic recensimus.

Anno 1620. Petrus Zombor Deák Oppidi Tarczall Judex Principem Gabrielem Bethlen convivio excepit, per eum in numerum Nobilium relatus.

Anno 1671. Andreas Gyöngyöfsy, & Stephanus Tasnády Ministri Helveticae Confessionis expulsi, templo pro Catholicis recepto.

Anno 1672. Posteaquam Generalis Cobb malecontentorum antesignanos Stephanum Petróczy, Matthiam Szuhay, Gabrielem Kende, & Paulum Sepesy ad Pagum Györke clade afficisset, Tarczalienses, & reliqua Oppida submontana metu dilapsa vineas hoc anno non collectas reliquerunt. Cobbio igne, ferroque omnia vastante.

Anno 1673. Securæ permansionis literas (*Salvam Guardiam* vocabant) impetrarunt a Generale Cobb Tarczalienses solutis eidem 200 florenis. Sed iis non obstantibus per Tokaienses præ-

fidarios diversis exactionibus vini, & carnum supra vires affligebantur.

Eodem anno Judex Primarius Stephanus Jászay: quod literas Generalis Spank tardius, uti oportebat, Tokainum expederit, cum suo vices gerente capti, Tokaynum deducti, ad palum attrahendi condemnati, dum jam per Carnificem in loco supplicii expansi fuissent, adlatis 10. vasis vini uvarum passarum ægre per Oppidanos liberati sunt. Unde in proverbium apud Hegyallenses abivit: *Leg-jobb Agens Tokay Antal!* sive Tokayensem Antonium (*Antalcomem*) potentissimum Advocatum esse.

Anno 1674. Commendans Tokayensis iterum Judicem, & Notarium ideo quod Tökölianorum Tarczalini pernotentium adventum non insinuaverint, vinctos ad se deduci curavit, ac in palum trahi imperavit, iterum præstitis decem vasis vini ægre liberatos.

Eodem anno Generalis Spank Secretarius Lochinszky ex castris ad Monok locatis misit Tarczalinum quatuor famulos, qui duo vasa vini præstantioris tam pro se, quam Generale adferri imperarent. Accidit pro infortunio incolarum: ut Tököliani Oppidum noctu aggressi tres famulos Spankianos trucidarent, quarto fuga elapso. Nec mora primo-

res loci ad castra Spankiana evocantur, eunt trepidi cum donariis Sikár nomine Judex, Joannes Kifs Senator, & Isaac Babocsay Notarius; sed vix in castra pervenerunt, jam tres præacutos quercinos palos paratos vident, quibus inpalentur. Non aliter ab horrida morte liberari poterant, quam solutis Generali mille florenis, quos cum actutum dependere nequivissent, a Miskólcziensi Oppido mutuare coacti sunt, Dein 14. vasis vini præstantioris ex *Mézes-mál* Generali præstitis, & Cassoviam devectis. Demum 100. Cubulis avenæ copiis Spankianis gratuito administratis. Tunc denique infelicibus Tökölianis militibus per Tarczalienses interceptis, iisque in locum Primorum Oppidi, & interfectorum famulorum in præacutas fudes attractis.

Anno 1675. Noctu per divagantes Tökölianos, de die per horum persecutores præfidiarios Tokayenses continuis excursionibus, exactionibus, cædibus, & incendiis divexabantur.

Anno eodem Generalis Caraffa ad Oppidum Liszka castra metatus, 30. vasa vini, 20. boves emacellandos, & 10. plaustra panum gratuito præstanda Tarczaliensibus imperavit, & executione militari ab iis extorsit.

Non mitior hoc fuit Comes Strassoldo Generalis.

Anno 1676. Georgius Harsány Tökölianus Centurio cum Pro-Centurione Petro Farkas noctu rigidissima hyeme Tarczalinum aggressus, illud prædonum in morem expilavit, pecoribus, pecudibusque omnibus abactis, quin vestibus utrique sexui detractis feminudos reliquit, exposit domos miserorum incendit.

Anno 1677. Tot calamitatibus pressi ad cincturam templi se receperunt, illamque circumvallando contra excursionses se muniverunt.

Anno 1678. Dum Michael Teleky cum exulantibus Hungaris e Transylvania egressus ad vicum Rakamaz castra figeret, in succursum ejus missi Agrienses Turcæ Octingenti Duce Aly Bego Kara Halan Aga dicto 14. Augusti, recte dum prandii tempus esset, Tarczalinum venerunt, incendioque Oppido palantes incolas per vineas, & montes insequabantur, fæminas ad libidinem vi adegerunt, expilatisque omnibus, 162. captivos utriusque sexus abduxerunt, duodecim Oppidanis trucidatis, qui semet ad cincturam templi receperant, & inde defenderant. Hac occasione succenso antiquæ structuræ Parochiali templo, quod

quod hactenus illæsum permanerat, ingentis molis campanæ in cineres, & favillas dissolutæ sunt.

Superventens Michael Teleky reliquos ad arma capienda vi adegit, & Eperiefsinum promotis castris abduxit: ut nonnisi infantes, & effecti senes remanserint. Ad Eperiefsinum demum per Polonicas copias Duce Comite Lefsinszky fugato Telekio, Tarczalienses inde profugi domum redierunt.

Anno 1679. Pestis Tarczalini ita grassabatur: ut ex cinctura templi quorsum iterum semet receperant, quotidie 15. 16. peste enecti efferentur, nec qui supererant, pro inhumatione eorum sufficerent.

Hoc anno submontanus Archi-Diaconus, & Tállyensis Catholicus Parochus Pater Stephanus Jósa, Notit. Hist. § 607. nobis memoratus, qui jam Tökölianis, jam Cæsareanis adhæsit, & tunc Hungaros (*Labancz*) Cæsari adhærentes ductitabat, Tarczalini per Felcz nominatum Tökölianum Pro-Centurionem ex insidiis circumventus, amissis suorum 60. capite plexus est. De hoc vide Kazy Hist. Tom. III. Libr. 12. ad Annum 1679. Item Fasc. 194. Nro. 299. Arch. Zempl.

Anno 1680 Tarczalinenses Agriensibus Turcis se deciderunt, & in pignus locata Civi Cassoviensi Jacobo Olafz Communitatis vinea, 200. Thalleris deprædationem sui apud Kara Hassan Ali-Begum redemerunt.

Superveniente Emerico Tököly castra ejusdem victualibus, vecturis, & vino providere coacti, illocatis illuc ad stativa Tökölianorum Ducibus Francisco Ferenczy, Joanne Fekete, Michaële Kocsis, & Petro Pataky.

Anno 1681. Tarczalinenses vineæ 21. Maji gelu, & pruina absumptæ. Decimavit vineas eorum h c anno Wolfgangus Jánoky Decimator Tökölianus, qui præterquam quod Oppidanos diversis exactionibus divexasset, ad conficienda quoque pro sua, qua Decimatoris parte, vina uvarum passarum adegit.

Anno 1682. Dum Ibrahim Budensis Bassa cum 40 suorum millibus ad oppugnandam Cassoviam proficisceretur, Tarczalienses ei medio delegatorum Joannis Mézáros Judicis, & Isaaci Babocsay Notarii supplices facti se dederunt, sed in vincula coniecti per custodes Janiceros solutis 15. Thaleris penes possessionem Monok dimissi sunt, posteaquam per Tökölianos capta jam
Casso-

Cassovia Turcæ accepto mandato Vezérii relicto Cassoviensi itinere Budam retrocedere, & ad oppugnandam Vienneam proficisci iussi fuissent.

Anno 1683. die 23. Junii Franciscus Klobusiczky Vice-Comes Comitatus hujus cum insurgente Nobilitate castra ad Tarczal fixit, & Oppidanos arma capere coegit, secumque abduxit. Liberata demum obsidione Vienna, fama-que didita: quod Joannes Sobieszkus Poloniarum Rex per tractum submontanum in Poloniam reverti velit, missi sunt delegati, qui onus hoc avertant. Ex Tokay Benedictus Tseklészy, ex Tarczal Georgius Komjáthy, ex Tállya Stephanus Csérkó, ex Bénye Petrus Hidvégy ad Regem Poloniarum penes Oppidum Szepsi castra metantem, conveneruntque cum Cancellario ejusdem in mille vasis vini Polonis administrandis, si iter versus alias Regni partes flexerint. Sed nec copiae Polonicae Submontanum tractum pertransiverunt, nec Rex Poloniae, sicut erat magnanimus, mille vasa vini ab eis unquam exegit.

Anno 1684. Insurrectio ad liberandam e jugo Turcarum Budam Tarczalinenibus, totiusque tractus Submontani Nobilibus imperata. Tökölius autem 40. vasa vini ex decima Tarczalineni
Mi-

Ministro Reformato Martino Rimaszombaty addixit.

Anno 1685. Copiæ Cæsareæ intra Leleſz, & Tárkány caſtra fixerunt. Unde obſidionem arcis Tokayenſis Tökölianus arcis Præfectus præmetuens Tarczalinenſes, quicumque armorum tractandorum capaces erant, ad deſenſionem arcis vi compulſit.

Immane gelu abſumſit vinearum palmites, & complures homines feſto Gregorii, Tybiſco quoque: ut curribus tranſſiri potuerit, repente congelante.

Infurrectio per Tökölium Submontanis imperata, ſed redempta 3000. florenis, & 2000. Cub. tritici.

Generalis. Schultz Tökölianos perſecutus ad Oppidum Mád caſtra fixit, quem demulſerunt Tarczalinenſes aliquot vaſis vini uvarum paſſarum medio delegatorum Franciſci Dévay, Iſaaci Babocſay, & Thomæ Tache tranſmiſſis. Unde *Salvam Guardiam* obtinuerunt.

Demum Schulzius Tokainum obſedit, & deditione cæpit, qua occasione militia Uvas jam maturas in vineis Tarczalinenſibus ita depavit, ut per incolas nec colligerentur.

Hoc anno primum ſtabilis contributio Oppido impoſita.

Anno

Anno 1686. Legio Kalliana in territorio Tarczalinenſi condeſcendit, fegetesque omnes equis ſuis abſumpſit.

Caraffa Generalis immanibus vini, victualium, fœni, avenæ exactionibus oppidanos iterum aſſixit. Non ſecus & Magiſtratuales Comitatenſes gratiam apud Præfectos militares aucupari volentes vina pro Generalatu Caſſovienſi, & Eperieſienſi ab Oppidanis exegerunt.

Munkacſino excurrentes vagi Haydones iterum Oppidum deprædati ſunt, Miniſtrumque Reformatorum Stephanum Gyöngyöſy expilarunt. De hujus uxore ſic ſcribit Babocſaius: „ Feleſége - is „ mindenbül ki mellyeztetvén hajadon „ fövel tsak egy Tatár inghben hagyatik, a' középſő leſnek kára nélkül.

Anno 1687. Templum a Reformatis iterum receptum.

Anno 1688. Tranſiens cum Tyronibus militaribus verſus Tranſylvaniam Officialis nomine ignotus Judicem, & aliquot loci primores denudari, ligatosque tota nocte culicum morſibus exponi curavit, donec quinque aurei eidem perſolverentur, militia alioquin laute habita.

Caraffa Generalis appromiſſa pretii perſoluitione 50. vaſa vini a Tarczalinen-

nenſibus medio Georgii Pauer Civis Eperieſienſis abvehi curavit, pretio nunquam ſoluto.

Anno 1689. a militia ultro, citroque commante afflicti, & quamvis Officiales militares graves inſolentias patraſſent, ad ſubſcribenda tamen atteſtata: quod cuncta vi Regulamenti præſtita ſint, minis, & verberibus adacti.

Anno 1690. Albertus Ladány Mi- niſter Helveticæ Confeſſionis iterum pa- ræcia ejectus.

Anno 1691. ſegetes incolarum per copias militares Ducibus Rabatin, & Schlik iterum equis conculcatæ, ac in pabulum equorum converſæ.

Anno 1692. Kiremberg Equitum Magiſter exactionibus victualium, & vini iterum eos afflixit.

Anno 1693. ſegetes, & fructus vi- nearum Locuſtæ depaverunt.

Anno 1694. Generalis Witrian ju- venes militiæ idoneos Tarczalini capi, & Legioni ſuæ adſcribi curavit.

Anno 1695. grandia paſſi ſunt a grandine damna.

Anno 1697. Schlik Generalis no- vis, & inſolitis exactionibus eos dive- xavit. Dein Franciſcus Tokay conci- tata ſeditione Not. Hiſt. § 688. de- ſcripta, fidelitatis juramentum Tököllo præ-

præstandum ab eis exegit, Nobilemque Stephanum Nagy, quod ei insolentiae hujus malum eventum prænunciaverit, trajici curavit.

Paulus Deák Colonellus Hungaricus ex persecutione Tokayanorum redux Tarczalinenses ad instar holtis deprædatus est.

Ita & Carolus Waudemont Generalis. Trajecti in hoc perturbatione incolarum Stephanus Kerekes, & Nobilis Georgii Törös vidua.

His superveniens Solari Generalis nihilo mitior fuit.

Anno 1698. Repetierunt domicilia sua Tarczalinenses dissipati.

Anno 1699. Optata pace perfruebantur.

Anno 1700. Franciscus II. Rákóczy modum cultivationis vinearum iis præscripsit, & per editum *Regulamentum* fallaciis vinicularum obices ponere contendit. Hactenus Babocsaius.

Hodie Oppidum tanquam ad Dynastiam Tokajensem spectans jure Cameræ Regiæ possidetur, illisque ipsis privilegiis, quibus Tokainum, gubernatur. Possident tamen in eo adhuc Curias liberas Comites Károly, Ráday, & Nobiles Patay.

Promontoria vini feracia habet primæ

mæ Classis ad meridiem, quæ continuo torrentur sole usque ad occasum, utpote Szarvas decantatissimum illum Clivum, Mézes-mále, Cserfás, qui pro mensa Cæsaris primus haberi, commendarique solet. Felső-Thurzó, Lajstrom, Szil-völgy, Deák, Király-mály, Agyag, Csuka, Köbánya, Tárcki, Paksi, Bigó, Görbe, Barát, Árok háti, Forrás, Baksó, & Clivus Theresiæ jam ætate nostra plantatus, a Diva Maria Theresia Regina, & matre Hungarorum nomen accepit.

2dæ Classis sunt, quæ in Occidentem inclinant: Nagy- & Kis Cseke, Peröcz, Sóhajó, Nagy- & Kis-mondolás, Nagy-váti, & Feketehegy.

3tiæ Classis, quæ versus Septentrionem vergunt: Nagy- & Kis-temető, Bodonyi, Zombori, Élő-hegy, Farkas, Nagy- & Kis-bajúsz, Vinnai, Pülpöki, Ponczi, Nyavalya, & Kis-Váradi.

Ex his etiam omnibus Clivis nonnisi tres scaturigines aquæ prorumpunt.

Forma sigilli oppidani scæminam botro manus infigentem, & genium aligerum inumbrantem refert. Nundinæ ad diem S. Stanislai celebrantur. Proth. 28. pag. 557. Arch. Zempl.

§ 36.

TALLYA Oppidum occupat locum erectum, & sensim acclivem, solo optimo gaudet, pingui, & resoluto, frugum omnis generis, & generosi vini ferace, jugera terrarum arabilium 977. numerat, sed nec fœnifecia, nec sylvas habet, quod etiam inter maleficia loci censetur. Incolæ sunt Hungari Romano-Catholicæ religioni, & Helveticæ partim, Augustanæ partim confessionibus addicti, templaque sua, & oratoria omnes hi cœtus distincta habent. Græci, & Judæi mercaturæ causa hic paucis tabernis cohibiti, illi Tokayensem sacerdotem ritus sui exercendi causa adeunt, hi privata in domo preces suas demurmurant.

Tallya
Oppidum.

Nomen accepit a castro *Tallia*, quod summo vertice montis *Vár-hegy* triplici vallo, atque aggere hucdum notatur. Antiquissimum illud fuisse, & opulentum ruinæ ejusdem luculenter factis ostendunt. Nam & domorum, splendorum olim, elatarumque frequentes adhuc ætate nostra visebantur parietinæ, & mœniorum murus solidus.

Anno 1241. pugna hic cum Tartaris conferta probatur diplomate Not. Hist. § 21. „ sub Regach, & *Tallia*

G

cum

„ cum eisdem Tartaris pugnavimus, de
 „ equo cecidimus, & idem Thomas
 „ suum equum nobis præbuit. &c.

Anno 1411. possidebatur per Ste-
 phanum de Debrew, & expugnatum
 per Sigismundum Regem, ipso Rege
 in expugnatione arcis præfente. Not.
 Hist. §. 54. & Coll. Dipl. Daniel.
 Cornides.

Anno 1469. Castellanus arcis fuit
 Thomas de Roskovány. Ex Tab. fa-
 miliæ ejusdem.

Anno 1500. possidebatur per Joan-
 nem Zápolya. Not. Hist. § 140.

Anno 1528. Occupatum per Cæ-
 sareos.

Anno 1536. Captum per Zápolia-
 nos. Not. Hist. § 182.

Anno 1550. restitutum Cæsari Fer-
 dinando per Isabellam Reginam, &
 collatum Gaspari, & Georgio Serédy.

Anno 1557. Ferdinandus Rex Jo-
 anni Allaghy Præfecto arcis commisit:
 ut duas vineas Tállyæ existentes, & ad
 hospitale Cassoviense spectantes, eidem
 hospitali restituat. Ex Arch. Civit.
 Cassov.

Anno 1560. Collatum Regia dona-
 tione Joanni, Georgio, & Melchiori
 Allaghy. Not. Hist. § 231. ubi jam
 demolita arx *Tállya* dicitur.

Anno

Anno 1584. possidebatur per Casparum, Andream, & Franciscum Magóchy Comitem Beregiensem, & Tornensem.

Anno 1590. „ Rudolphus Imp. pro „ parte Sigismundi Rákóczy Comitis „ Comitatum Heves, & Borsod, nec „ non arcis, & Præsidii Agriensis Supremi Præfecti, & Capitanei, ac „ Judithæ filiæ condam Joannis Bekény de Allagh confortis exhibitas „ Conventus Ecclesiæ S. Joannis Bapt. „ de Jaszow fassionales, mediantibus „ quibus dictus Joannes Bekény de „ Allagh prius testamentum suum 1563. „ conditum revocat, posterius: quo „ mediante arcem Regécz in Aba-Uj, „ & demolitum castrum *Tállya* in Zemplin. Comitatibus existent per condam „ Joannem Bekény de Allagh propriis „ suis virtutibus, & laboribus aquisita „ Andree, & Judith filio, & filiæ suis, „ reliqua vero bona Georgio, & Melchiori Allaghy fratribus suis uterinis „ testatur, consensu suo firmat. Pragæ Ex processu Filii Regii contra Barones Orczy.

Anno 1591. „ Rudolphus Imp. & „ Rex binas literas fassionales Capituli „ Ecclesiæ Agriensis, alteram. mediantibus „ ante qua Franciscus Allaghy assumptis

„ in se oneribus Stephani, & Michëlis,
 „ filiorum alterius Stephani Alaghy
 „ fratris sui carnalis ex dubio liis
 „ eventu in causa ratione, & prætextu
 „ totalium, & integrorum Castrorum
 „ Regécz, ac diruti *Tállya* vocatorum;
 „ item Oppidorum, possessionum, &
 „ portionum possessionar. ac prædia-
 „ lium ad præscripta castra de jure, &
 „ ab antiquo spectantium, contra Ju-
 „ dith Allaghy prius Andreæ Magóchy,
 „ nunc autem Sigismundi Rákóczy Su-
 „ premi arcis Agriensis Capitanei con-
 „ sortem, sororem videlicet suam con-
 „ divisionalem promotam, una cum cla-
 „ Surány relicta suprafati Stephani fe-
 „ nioris Allaghy tutrice naturali præli-
 „ batorum Stephani, & Melchioris fi-
 „ liorum suorum suscitasset, causam de-
 „ fluam deponant, oppidumque Mád
 „ in Comitatu Zemplin existens ad præ-
 „ fatum dirutum castrum *Tállya* de
 „ jure pertinens reciproca inita trans-
 „ actione inter se mediante, eidem
 „ Sigismundo Rákóczy, consortique
 „ suæ Judithæ Allaghy, sexusque utri-
 „ usque eorum descendentibus Anno
 „ 1590. fatentur; alteram vero, qua
 „ mediante dicta Juditha Allaghy præ-
 „ dictum Oppidum Mád Sigismundo
 „ Rákóczy marito suo fatetur de Anno

„ 1591.

„ 1591. Regium consensum attentis, &
 „ consideratis fidelitate, & fidelium
 „ fervitiorum cumulatis meritis, fidelis
 „ Sigismundi Rákóczy, quæ ipse sacrae
 „ primum Regni Coronæ, & deinde
 „ Majestatis Regiæ ab initio statim fe-
 „ licis Regiminis in diversis officiis, &
 „ militaribus functionibus præsertim ve-
 „ ro in Capitaneatu Agriensi, quo cum
 „ laude, & militari gloria est perfun-
 „ ctus, contra atrocissimos Christiani
 „ nominis hostes in diversis tam gene-
 „ ralibus, quam particularibus expedi-
 „ tionibus, & excursionibus infracto
 „ pectore, & intrepide, summaque
 „ fidelitatis constantia militariter, ac
 „ utiliter, & cum satisfactione exhibuit.
 „ Pragæ. Ex eodem Processu.

His tamen tractatibus non obstantibus, Oppidum Tállya usque annum 1331. possidebatur per Comitem Melchiorum Allaghy Not. Hist. § 421.

Anno 1633. occupatum est per Nicolaum Eszterházy Comitem Regni Palatinum titulo dotis uxoris suæ Ursulæ Dersöffy. Not. Hist. § 437.

Anno 1647. „ Ferdinandus Imp.
 „ totalem, & integram arcem, seu
 „ Dominium Regécz vocatum, in Co-
 „ mitatu Abaujvár existen. habitam si-
 „ mul cum diruto castro *Tállya*, cun-

4/5 Ma

„ ctisque totalibus, & integris oppidis
 „ ac possessionibus nempe Szánthó,
 „ *Tállya*, Rátka, Fony, Wilmány,
 „ Horváthi, Baskó, Regéczke, Sán-
 „ dorka, alias Mogyoróska, Szent-
 „ Anna falva, Alsó-Vadász, Szikszó-
 „ Uj-falu, Alsó-Novaj, & Marczin-
 „ falva, item portione possessionaria
 „ in Legyes - Bénye habitis Principi
 „ Transylvaniæ Georgio Rákóczy, con-
 „ sortique ejus Susannæ Lorántffy, se-
 „ xusque masculini descendentibus pe-
 „ nes quemdam tractatum, depositis
 „ prævie Nicolai Comitis Eszterházy
 „ Palatini hæredibus 160. mille flor.
 „ Hung. jure perennali, sexui vero
 „ foemineo in, & pro 160. mille flor.
 „ Ung. remdemptibiliter contulit. Vien-
 „ næ Austriæ die 7. Maji. Ex Proc.
 „ Fisci Regii contra Baron Orczy.

Anno 1663. Cum Rabatta Gene-
 ralis exactione vivi stativanti militiæ
 non competente Oppidanos Tállyenses
 multum divexaret, & nisi imperata
 præstarent, in præacutam sudem trahen-
 dos primores loci minaretur, Jantó, &
 Tolvaj Nobiles Tállyenses concitata
 plebe hospitium Generalis aggressi plu-
 rimos e legione ejus trucidarunt. Ipse
 Rabatta vix persequentium manus effu-

git amisso in fuga uno Centurione. Fasc. 216. Nro. 1. 2. 3. Arch. Zempl.

Anno 1670. Minister Helvet. Confessionis assistentia Cataphractorum equitum hinc ejectus. Lampe Hist. Eccl. pag. 748.

Anno 1683. Conventiculum hic celebrarunt Tököliani. Fasc. 232. Nro. 499. Arch. Zempl.

Anno 1684. occuparunt templum Catholicorum rursus Helveticæ Confessionis addicti.

Anno 1708. Conventiculum hic celebravit Franciscus Rákóczy. Fasc. 217. Nro. 246. Arch. Zempl.

Anno 1714. templum Parochiale pro parte Catholicorum a Reformatis receptum. Fasc. 189. Nro. 93. Arch. Zempl.

Anno 1715. Francisco II. Rákóczy perduellionis convicto possidebatur per Cameram Regiam.

Anno 1720. Joanni Leopoldo Donato Principi a Trauczon Regia donatione Caroli VI. Imp. collatum.

Anno 1749. Nundinæ hebdomadales huc inductæ. Prot. 40. pag. 619. 622. Arch. Zemp.

Anno 1780. stirpe Principum Thrauczon in sexu virili extincta; nunc jure Cameræ Regiæ administratur. Sed & sunt præterea Comitibus Keglevich, Ra-

day, Szirmay, Barkóczy, Andrásfy, Sennyey, & Nobilibus Bégány, Lányi, Plathv, Róth, Szemere, Spillemburg, Civibusque Cassoviensibus, Eperiesiensibus. Bartphenibus, & Leutschoviensibus suæ Curiae

Anno 1786. novis coloniis Suevicis Oppidum auxit Josephus II. Imp. iisque terras allodiales Dominii tradidit.

Nundinae publicae hic celebrantur diebus SS. Vincentii, Ambrosii, Ladislai, & Colomanni

Ex privilegiis Oppidi non aliud restat, quam popinae libertas a festo S. Michaëlis usque ad Calendas Januarias.

In sigillo publico botrum pro insignibus ostentant.

Clivos nobilissimi vini feraces sinu suo complectitur Oppidum sequentes: Patocs, Heteny, Medgyes, Kúvágó, Dongó, Hegyes, Bányász, Hafznos, Görbe, Bahom-allya, Tökösmál, Remetehegy, Sas-hegy, Nyerges-hegy, Palota, Cserepes, Tállyi-kőhegy, Halastó, Csik-hegy, & Várhegy, ex quibus plurimi fontes scaturiunt.

§ 37.

Ond pagus OND pagus, in amæna planitie penes rivulum Ondi-patak, 515. jugera ter-

terrarum arabilium, glebam fertilem, colles vitiferos habet, parca tamen hic prata, & lignendi potestas nulla. Incolæ Hungari Helveticæ confessioni in maxima parte addicti, Paræciæ Szerencsiensi affiliati. Post defolationem injuria bellorum perpessam, infessâ est possessio novis Hungarorum coloniis Anno 1695. Fasc. 208. Nro. 97. Arch. Zempl. possidebaturque ex donatione Rudolphi Imp. Anno 1603. pro Sigismundo Rákóczy elargita per hæredes ejus usque annum 1711. expost per Cameram Regiam, nunc autem per Comites ab Aspremonth, & Szirmay, ac Barones Orczy possidentur.

§ 38.

RÁTKA pagus, 662. jugera terrarum arabilium, glebam fertilem, læta ^{Rátka pagus} fœnifecia, colles generosi vini feraces habet. Incolæ origine Suevi, sed jam Hungaricam callentes, religionis Romano-Catholicæ sunt, & ad parochiam Tállyensem affiliantur.

Heros, & fata eadem experta est possessio, quæ castrum Tállya, velut ejusdem appertinentia, nisi quod dilapsis, & excisis injuria bellorum veteribus colonis fuerit desolata solitudo, do-

nec deductis ex Circulo Suevico per Principem Thrauczon novis coloniis Anno 1754. populosa redderetur.

Possidetur ex defectu sexus masculini Principum a Thrauczon per Cameram Regiam, sed etiam est hic Nobilibus Melczer præcipua Curia.

Colles omnes vitiferi, Rátkensis promontorii nomine veniunt, nisi quod collis ad Melczerianam familiam spectans *Isten-hegy* vocetur.

§ 39.

Maád
Oppi-
dum

MÁAD Oppidum in amœna valle, a meridie aperta, de reliquo collibus vini-feris circumsepta. Per medium vallis demanat rivus a Septemtrione, influitque in lacunam *Bécs-ere*, 838. jugera terrarum arabilium, glebam in plano pinguem, tritici cum primis feracem, in collibus terram ex albido flavam, saxo rubello friabili mixtam habet. Incolæ loci Hungari, Romano- & Græco-Catholici, ac Helveticæ Confessioni addicti, quarum etiam trium religionum templa visuntur.

Anno 1591. possidebatur Oppidum ad castrum Tállya per Franciscum Allaghy ut supra § 36.

Anno 1596. Sigismundus Rákóczy per connubium cum Juditha Allaghy,
&

& ex donatione Rudolphi Imp. Oppidi herus factus. Ut supra § 36.

Anno 1620. possidebatur per Comitem Melchiorem Allaghy, quo in sexu virili extincto.

Anno 1633. præmissio jure Donationis Rudolphinæ occupatum per filios Sigismundi Rákóczy. Not. Hist. § 437.

Anno 1670. Georgius Széchény Archi Episcopus Colocensis Ministrum Reformatorum assistentia militum Cataphractorum hinc ejici curavit. Lampe Hist. Eccl. pag. 748.

Anno 1715. Francisco II. Rákóczy perduellionis convicto, in Fiscum Regium devolutum.

Demum quartam partem Oppidi titulo pignoris possedit familia Comitum Klobusiczky.

Hodie possidetur medietas Oppidi per Comites ab Aspremonth jure successorio aviæ suæ Juliannæ Rákóczy, una quartalitas per Comites Szirmay, altera quartalitas per Barones Orczy. Sunt tamen & septem liberæ Curriæ Makovicza dicta, Principis olim Poloni a Zangusko, nunc per Cameram Regiam possessa. 2da. Hegyiana. 3tia. Nobilium Nagy Tólcsvensium, 4ta. Comitum Szentivány. 5ta. Miskólcziarum Korponensium. 6ta. Spléniana. 7ma. Parochi

rochi Catholici. Inhabitant præterea Oppidum Nobiles Gönczy, Tólnay, Pramer, & alii.

Assurgunt colles vini feraces imæ Classis: Percze-hegy, Nyúlászó, Makovicza, Szent-Tamás, Kövágó, Bacs-kai, Király-hegy, Becsek.

2dæ Classis: Birsalmás, Hóld-völgy, Hintós, Juháros, Úszhegy, Kis-Vilmány.

3tiæ Classis: Veres, & Sarkad.

Ex collibus his prorumpunt quinque fontes Diós-kút, Adó-kút, Király-kút, Kis-kút, & quintus infra collem Kövágó sulphureus, qui salubria balnea præbet.

Sigillum Oppidi B. Joannem Bapt. refert.

§ 40.

Zom-
bor Op-
pidum

ZOMBOR Oppidum, a *Zumbur* primo terræ hujus ex Hungaris possessore dictum, 2621. jugera terrarum arabium complectitur, declivitatem terreni prata, clivos vites occupant. Glebam nigram friabilem, omnis generis frugum sine fimatione feracem, prata vero lacunosa habet, quod etiam inter maleficia locis censetur. Incolæ Hungari, religionis Romano-Græco-Catholicæ,
&

& Helveticæ etiam confessioni addicti, qui omnes sua templa, & oratoria habent.

Primus ex Hungaris (uti præmisimus) terræ possessor fuit *Zumber* (*)

Expost locum possedit Comes *Ratholdus* cujus generatio tempore Regis *Colomanni* de Regno *Apulorum* de *Caserta* venit, & cui Rex Anno 1110. reliqua inter terram etiam filii *Pascha* de genere *Zumber* donavit. *M. Joan. de Thurócz* Cap. 17.

Hujus descendens *Magister Kokos*, filius *Magistri Stephani*, de genere *Ratholdi* Comes *Tolnensis*, & de *Budrugh* Anno 1300. pro terra *Zumber* litigavit cum *Comite Joanne de Zoda*. Uti ipsas adjudicatorias literas infra § 52. exhibemus. Ex *Coll. Dipl. Car. Fejérváry* Tom. III.

Anno 1321. *Magistri Kokos* filii in duas stirpes dividebantur, quarum una a diverticulo *Fejew* in terreno *Zomboriensi* sito, & in adjudicatoriis memorato *Fejes* de *Zombor*, altera autem linea

nea

(*) Fuit filius Ducis *Lehel*, uti in *Tranlumpto Genealogiæ Comitum Esztoras* per *Capit. Eccl. Castriferrei* perhibetur. ddo. Anni 1670. & apud *Bonlin*.

nea pure de Zombor vocabatur. Ex hac Andreas de Zombor homo Regius metas possessionis Arbona Zsadány defixit, uti infra § 48. videbimus.

Ab Anno 1600. locum possedit Familia Nobilium Lippay de Zombor. Ex qua Georgius Archi-Episcopus Strigoniensis Zombor hactenus pagum Anno 1665. diplomate Leopoldi I. Imp. in numerum Oppidorum privilegiorum evehi curavit, & nundinarum publicarum celebrationem introduxit.

Sed & Sigismundus Rákóczy Anno 1603. portionem in Zombor Regia donatione Rudolphi Imp. adeptus est.

Demum sub intestinis patriæ motibus ita desolatum fuit: ut Anno adhuc 1732. nihil aliud, quam parietinæ Templi diruti, & agri, prataque lacunosa ex eo conspicerentur, quo tempore Madini constitutus peculia is Ductor, & administri Zomboriensis promonthorii res curabant.

Novis colonis infessum nostra jam ætate pristinæ celebritatis aliquam formam recepisse videtur.

Possidetur autem per Comites Aspremonth, Károly, Andrásy, Ráday, Barones Orczy, Nobiles Péchy, Fáy, Patay, Szepessy, Way, Bernát, Mudrany; Pramer, Zicsy de Zsujta, Mar-

zsó, Kovács, Vásáry, Bajory, Szabó, Csengery, Dombrády, Uzza, Matyasovszky, Szemere, Nagy, Nézzay, Radvány, Kremer, & Pulfzky.

Colles viniferos habet 1mæ Clafsis: Csajka, Hangács, Virginás, Lajos, Zombori-Király, Disznókő.

2dæ Clafsis: Mészfelátó, Galambos, Kereknémahegy, Csákány, Nagy-Köves, Felbér, Bokond, Borkút.

3tiæ Clafsis: Hegymegy, Harcsa, Keöporos, Kis-Hangács, & Makkos.

Ex his collibus prorumpit fons limpidissimus *Hasca-Kút*, influitque in fluvium *Takta*.

§ 41.

BODROG - KERESZTÚR, Bodrog Keresztúr Oppidum.
 Oppidum, ad distinctionem plurium in Regno *Keresztúr*, ab amne Bodrogo, cui afsidet, dictum, 727. jugera terrarum arabilium complectitur, reliquum in collibus vites, Bodroganam ripam fœnificia occupant, glebam fertilem, colonos Hungaros, Romano- & Græco-Catholicos, ac Helveticæ Confefsioni addictos, singulique isti cœtus distincta orationem loca, ac Romano-Catholici quidem inventæ S. Cruci consecratum templum habent.

Per-

Pertinebat Anno 1408. ad familiam Keresztúry cum stirpe de Gara identicam Not. Polit. § 118. ex qua adhuc Anno 1637. in linea Nobilium Franciscus Garay Judex Nobilium Comitatus supererat, & curiam Nobilitarem in Oppido Bodrog-Keresztúr possidebat. Fasc. 212. Nro. 420. Arch. Zempl. quæ hodie dum nomine Curiae Garaianæ compellatur.

Anno 1603. Oppignorum est Oppidum per Rudolphum Imp. Sigismundo Rákóczy.

Anno 1606. per Stephanum Bocskay ex concessione Tractatus Viennensis redemptum, & ad castrum Tokay applicatum.

Anno 1589. & 1617. fuit hic loci Typographia, uti apparet ex opusculis ibidem proculis, qualia sunt: *Majestatis Hungaricæ Aquila a Christophoro Lakner edita typis excusa Bodrog-Kereszturini apud Emericum Farkas Anno 1617.* Item: *Summája azoknak az Artikulusoknak &c. Bodrog Kereszturini typis Joannis Manlii Anno 1598.* Meminit hujus libri Card. Petrus Pázmány Hodeg. Lib. 3 pag. 9.

Anno 1647. per Ferdinandum III. Imp. Georgio Rákóczy attributum est.

Anno 1711. possidebatur per Cameram Regiam.

Anno 1714. Templum Parochiale pro usibus Catholicorum a Reformatis receptum. Fasc. 189. Nro. 91. Arch. Zempl.

Nunc Oppidi Dominus est Comes ab Aspremonth ex successione aviæ Julianæ Rakóczy. Sunt tamen & liberæ Curiae Comitibus Teleky, Sennyey, Döry, & Nobilibus Patay, Jósa, Keczer, Bagossy, Besseney, Kádas, Fáy, Schneider, Glaczinger, & Curia Garaiana dicta.

Privilegiis paribus cum Tokaino Oppidum isthoc gaudet a Rudolpho II. Imp. concessis, & per Matthiam II. Imp. confirmatis Anno 1610. Loc. 72. Nro. 100. Arch. Zempl. Jure etiam gladii pollebat, sed jam eo non utitur. Sigillum refert agnum, nundinæ autem celebres instituntur ad dies SS. Trinitatis, Matthiæ, Bartholomæi, & Catharir.

Colles vitiferos habet. mæ Classis, Csóka-mál, Sajgkó, Kakas, Kö-vágó, Mezfze-látó, Ujhegy, & Henye.

§ 42.

KIS-FALUD, sive parvus pagus, ^{Kis-fa-} in rippa Bodrogi, ab exilitate sua olim ^{lud pa-} dictus, 336. jugera terrarum arabilium ^{gus} complectitur, prata ultra Bodrogum protenduntur. Incolæ Hungari Romano Catolici, & Helv. Confessione addicti, parochiæ Keresztúriensi affiliati, vivunt ex agri, & vini cultione.

Anno 1341. possederunt locum **Magistri** Stephanus, Akus, Lorandus, & Ladislaus, Mychk Bani Sclavoniæ filii, vineasque in monte *Kis-folud* inter se diviserunt. Not. Hist. § 44. Ex his demum una stirps villæ dominata *Zeghy* vocabatur.

Anno 1469. ad castrum Tokay applicata possessio donatione Matthiæ Corvini collata est Emerico de Zápolya.

Anno 1515. Joannes de Zápolya prodigio, quod Isthvánffy Lib. 6. refert, excitus, Capellam Corporis Christi in Scepusio fundavit, ad ejusque Rectoratum possessionem Kis-falud aplicuit, uti docetur sequenti Investitura: „ Nos Jo-
 „ annes DEI gratia Rex Hungariæ &c.
 „ Quod nos inducti meritis, & virtu-
 „ tibus, ac literalis scientiæ sufficienti
 „ peritia, cæterisque animi dotibus fi-
 „ delis nostri Venerabilis Francisci de
 „ Nagy-

„ Nagy-Körös, quibus ipse apud Ma-
 „ jestatem nostram fidedigno testimonio
 „ meruit commendari. Eundem igitur
 „ tanquam personam idoneam, & bene
 „ meritam ad Lectoratum, Canonica-
 „ tum, Ecclesiæ Scepusiensis, nec non
 „ Rectoratum Capellæ nostræ ad latus
 „ ejusdem Ecclesiæ Scepusiensis con-
 „ structæ, simul cum possessionibus Kol-
 „ bach in Scepusiensi, Somogy Aba-
 „ Ujvariensi, *Kis-falud*, & *Zegi* in
 „ in Zempliniensi Comitatus existen-
 „ & habitis ad eosdem Lectoratum, Ca-
 „ nonicatum, & Capellam pertinen-
 „ auctoritate juris Patronatus nostri Re-
 „ galis &c. duximus eligendum, nomi-
 „ nandum. &c. Datum Varadini in vi-
 „ gilia festi B. Laurentii Martyris Anno
 „ Domini 1537. „ Ex Processu Resid.
 Szathmár. Soc. JESU, contra Compos-
 sessores Szeghien.

Anno 1626. *Kis-falud*, & *Zeghy*,
 quamvis ex pacificatione exmissa Ga-
 briel Bethlen suæ Majestati Sacratissimæ
 restituit. Dat. Leutschoviæ 28. Dec.

Anno 1647. Patribus Soc. JESU sine
 erudiendæ juventutis Not. Hist. § 485.
 ad arcem Szathmár introductis, pro me-
 liori subsistentia ad Residentiam memo-
 ratorum Patrum per Ferdinandum III.
 Imp. applicata est.

Anno 1720. novis coloniis infessa , cum diu antea desolata stetit.

Anno 1773. Societate per Bullam Pontificiam extincta, nunc ad fundum Studiorum publicum pertinet.

Montem vini feracem habet *Vár-hegy* rotundum, instar metæ separatum a reliquis. In summo cacumine ostendit ruinas ex arce olim Zeghiorum ibi supereminente residuas.

§ 43.

Szeghy
præ-
dium

SZEGHY prædium, olim pagus familiæ agnominis, in ripa Bodrogi, glebam feracem, sed multis adhuc dumetis obfitam habet.

Possidebatur olim per familiam *Zeghi*, eaque in fexu virili extincta per Joannem Zápolya ad Capellam SS. Corporis Christi applicatus, per Gabrielem Bethlen occupatus, Anno 1626. Ferdinando II. Imp. restitutus, per hunc familiæ Rakaczay in parte collatus. Not. Polit. § 196.

Nunc plurimos heros agnoscit, utpote Fundum Studiorum publicum, Comites Aspremonth, Barones Berzeviczy, Nobiles Patay, Péchy, Keczer, Kazinczy, Desseoffy, Mudrány, Olchváry, Okolicsány, qui omnes ibi mansiones suas

suas vinicolandi studio, & diversoria habent.

Colles vitiferi præstantissimo fructu supereminet prædio, vocanturque: Somos, Poklos, Mézpest, Göböly, Lapis, Csirke, Czigány, Aranyos, Hofszúmály, Varjas, & Hatalos.

Sylvæ quoque Longh Not. Polit. § 55. memoratæ, sed nimis devastatæ pars hic visitur.

§ 44.

OLASZI-LISZKA Oppidum in ripa Liszka
 Bodrogi, glebam frugum, & vini feracem, Oppidum 962. jugera terrarum arabilium, ampla fœnifecia ad amnem Bodrogum, sylvæ Longh Not. Polit. § 55. memoratæ partem incolæ Hungari Romano-Catholici, & Helveticæ Confessione addicti distinctum Templum, & Oratorium habent. Turris Templi Catholicorum est structuræ eximiæ, ambulacris ex secto lapide ornata.

Cum adventu Ungarorum locum incoluisse Sclavos, nomen *Liska*, Slavice vulpem designans indigitat.

Anno 1245. post devastationem Tartaricam locum instaurasse, & vitibus consevisse Italos jam supra § 20. & Not. Hist. § 22. docuimus. Unde *Olaszi*,

five *Italorum-Liszka* nominari cœpit. Quamvis & *Liska* nomen ab Italis derivari non vana sit conjectura: quod etiam *Liskonus* Ferdinandi I. Dux, Isthvánffii Lib. 5. & Bethlen Lib. 3. memoratus, Italice *Lisca* vocatus fuerit.

Anno 1248. Terram *Lizka-Oloxi* ad se pertinentem Rex Bela IV. Ecclesiæ B. Martini de Scepus donavit. Ut supra § 20.

Anno 1290. Donationem hanc Andreas III. renovavit. Ut supra § 20.

Anno 1466. Matthias Corvius Rex nundinale privilegium Qppido contulit. Prot. 49. pag. 97. Arch. Zempl

Anno 1530. Joannes Zápolya Rex Oppidanos ad 12. milliaria liberos a teloniis pronunciavit. Ex processu Urbar.

Anno 1560. per Lazarum Schwendium Belliducem fuit ad Confinium Tokay, occupatum, sed publica lege Art. 32. 1567. Præposito, & Capitulo Scepusiensi restitutum.

Anno 1606. vi pacificationis Viennensis traditum est ad tempus oppidum Stephano Bocskay. Not. Hist. § 357.

In reliquo sicut semper erat Præposituræ Scepusiensis fundationale, ita nunc quoque per Episcopum, & Capitulum Scepusiense possidetnr. Sunt tamen & hic liberæ Curiæ Residentiæ olim

olim Patrum Jesuitarum Leutschovien.
ac Nobilium Melcer, & Jakabfalvay.

Sunt Oppidanis eximia privilegia a
Rudolpho II. & Ferdinando II. Imp.
concessa, quibus a labore Dominis præ-
stando exempti moderatum nonnisi cen-
sum solvunt, jus epocillandi, consuetu-
dines nonandi, distinctum Magistratum,
nundinarum, & fori proventum, ac Si-
gillum Tokayensi simile habent. Jure
etiam gladii pollebant, sed eo non utun-
tur.

Nundinæ, sed non multum frequen-
tes hic celebrantur ad dies SS. Benedicti,
Ladislai, Michaelis, & Andreae.

Clivis vini primæ Classis feracibus
Rány, & Élöhegy dictis gloriantur. Sed
& confitum est vitibus diverticulum *Me-
szes*, olim *Mesczes* Comitis Autolei, de
genere Hermanni possessio, in quam
dum Anno 1255. nominatus Comes in-
troduceretur Diplomate Belæ IV. Regis
designati erant homines Regii Comes
Stephanus filius Cadar de Tolchva, vel
Andronicus de eadem. Katona Tom.
6. pag. 230.

§ 45.

Vámos-
Ujfalú
pagus

VÁMOS - UJFALU pagus (*)
sive telonialis nova possessio, a telonio ibidem exigi consueto (uti mox videbimus) dicta, glebam fertilem, colles vitiferos, 336. jugera terrarum arabillum habet. Coloni Ungari Romano-Catholici, & Helveticæ Confessione addicti parochiæ Tólcsvensi affiati.

Anno 1490. Dominus loci fuit Joannes de Tharcza. Not. Hist. § 131.

Anno 1512. Nicolaus de Tharcza pagum Vámos-Ujfalú cum Telonio ibidem exigi consueto, aliasque possessiones cum Emerico de Perén Palatino pro Castro Wjvár permutavit, uti sequentes literæ perhibent: „ Nos Wladislaus DEI „ gratia Rex Hungariæ &c. quod Spectabilis, ac Magnus Emericus de „ Perén Comes perpetuus Comitatus „ Aba-Ujvár, & hujus Regni nostri „ Hungariæ Palatinus, & Judex Cumanorum nostrorum, ab una, ac Egregius Nicolaus de Tharcza partibus „ ab altera, idem etiam Emericus de „ Perén Francisci, & Petri filiorum, præ-

(*) Antiquitus *Vámos* vocabatur. Wagner Dipl. Sáros pag. 78.

„ præfatus vero Nicolaus de Thárcza
 „ cunctorum fratrum, & proximorum
 „ suorum oneribus in se assumptis. Pri-
 „ mo præfatus Emericus de Perén Co-
 „ mes, & Palatinus castrum suum Wj-
 „ vár vocatum in Comitatu de Sáros
 „ existens simul cum possessionibus Uj-
 „ falu, Lithynye, Olenyk; Hanigócz,
 „ Beglér, Kruslolv, nec non telonio
 „ in dicta possessione Ujfalv exigi solito
 „ &c. annotato Nicolao Thárczay dedi-
 „ disse, & contulisset. E converso
 „ idem Nicolaus Thárczay omnes, &
 „ totales portiones suas possessionarias
 „ in oppido, & possessionibus infra-
 „ scriptis videlicet Tholchova, *Vámos-Uj-*
 „ *falu, ac telonio ibidem exigi solito,*
 „ nec non Cbergew, Nagy Thoronya,
 „ Gerchel, Upor, Isép, Abara, &
 „ prædio Kis-Ahora in Comitatu, Zem-
 „ plén prælibatis Emerico de Perén Co-
 „ miti, & Palatino, ac Francisco, Pe-
 „ tro filiis ejusdem dedisset, & contu-
 „ lisset &c. „ Dat. in Erd. &c. Anno
 1512. Ex Coll. Dipl. Caroli Fejérváry
 Tom. III.

Possidebatur ergo pagus Vámos-új-
 falu per Perénios Petrum, & filium
 ejus Gabrielem, per eosque ad castrum
 Patak applicatus est.

Anno 1563. Gabriele Perénio sine hærede decedente, Vámos-Ujfalú illos heros agnovit, qui castro Patak dominabantur, utpote

Anno 1564. Fiscum Regium.

Anno 1574. Familiam Dobó Not. Hist. § 255.

Anno 1601. Dobonibus in Francisco filio Stephani extinctis occupata est per Fiscum Regium. Not. Hist. § 341.

Anno 1608. in Michaëlem Lorántffy de Serke per Fiscum Regium translata.

Anno 1630. Georgius Rákóczy per connubium cum Susanna Lorántffy possessorium ejus adivit.

Anno 1711. ex nota Francisci II. Rákóczy occupata per Fiscum Regium.

Anno 1720. Principibus a Thrauczon per Carolum VI. Imp donata, hisque

Anno 1780. in sexu virili emortuis, nunc per Cameram Regiam possidetur.

Fuit circa exitum sæculi prioris desolata solitudo, unde & in Donatione Principum Thrauczon prædium nominatur, nostro jam ævo novis coloniis infesta, rudera antiquæ structuræ Templi ostentat. Vineæ loci uno tantum clivo *Rány* dicto definiuntur.

§ 46.

NAGY-TÓLCSVA Oppidum ^{Tólc-}
 in amœna valle situm, a rivulo e pro-^{va Op-}
 ximis montibus Horváthiensibus ma-^{pidum}
 nante, & jam cum postremo Hungaro-
 rum in Pannoniam adventu *Tolsua* di-
 cto nomen accepit, uti mox infra vide-
 bimus. Glebam optimam, 650. jüge-
 ra in terris arabilibus habet. Incolæ
 loci Hungari, religionem Romano- &
 Græco-Catholicam majori in parte pro-
 fitentur. Sunt tamen complures etiam
 Helveticæ, & Augustanæ confessioni
 addicti, ac Judæi. Publicum vero re-
 ligionis exercitium cum Templis nonnisi
 Romano- & Græco-Catholici, ac Hel-
 veticæ Confessione addicti habent.

Primus ex Hungaris locum possedit
 miles *Retel*, pater *Oluptulma*, cui Ar-
 pad Dux terram a *Satur-halma* (nunc
 Sátor-Ujhely) usque ad fluvium *Talsuo*
 condonavit. Anonym. Belæ Reg. No-
 tar. Cap. 15.

Anno 1366. possidebatur per La-
 dislaum filium Joannis de Tolchua,
 cujus antenati jam anno 1254. loco do-
 minabantur, nominanter: Joannes filius
 Langensii, Demetrius filius Uz Grego-
 rius filius Kemez & Uz filius Balasei de
 Tolchua. Not. Hist. § 24. Sed & Anno

1255.

1255. Comes Stephanus, filius Cadar de Tolchua, & Andronicus de eadem, qua homines Regii pro reambulatione metarum possessionis Mesces designabantur, uti supra § 44. vidimus.

Anno 1512. Nicolaus Tárcazy totales possessiones Tolchua, & Vámosujfalu cambiavit cum Emerico de Perén pro Castro Ujvár in Comitatu Sáros. Ut supra §. 45.

Anno 1514. „ Elias Plebanus de
 „ Tolchua, Factor Cardinalis Strigoni-
 „ ensis universarum Ecclesiarum Pleba-
 „ nis significat: quod Laurentium Zywr
 „ Concivem de Cassa Constantinopolim
 „ miserit ad congregandum populum
 „ contra Turcas mandando: ut illum,
 „ & suos sequaces sub pœna excommu-
 „ nicationis comiter acceptent. Wag-
 „ ner Dipl. pag. 319.

Ab Anno 1630. tanquam arcis Patlak appertinentia possidebatur per Rákóczios.

Anno 1700. Oppignoravit illud Franciscus Rákóczy Stegnerianis.

Anno 1714. Templum Parochiale ab Helveticæ Confessione addictis pro parte Catholicorum receptum. Fasc. 189. Nro 95. Arch. Zempl. Qua occasione feminae Tolcsvenfes colis, furcillis, aliisque muliebribus armis instructæ in-
 tro-

troductum Catholicum Parochum Gabrielem Nedeczky putridis gallinarum ovis, veluti totidem bombardis impetitum Oppido rursus eiecere, reductum dein per Comitem Joannem Pálffy insolentibus fæminis cum Magistratu pro demerito castigatis. Prot. 12. pag. 73. Arch. Zempl.

Hodie Oppidum possidetur ad Majoratum Familiæ Nobilium Szirmay. Sunt præterea Nobilibus Nagy, Berhely, Mezölsy, Szemere, & Carove liberæ Curiaë.

Orientem versus adjacet Oppido diverticulum Kis-Tólcsva dictum, in quo diversorium, & duæ molæ ad Nobiles Szirmay spectantes visuntur.

Colles vitiferi Tolcsvenfes sunt imæ Classis: Cziróka, Paczoth, Kútpatka, & Gyapáros.

2dæ. Classis: Elöhegy, Várhegy, Nagykeö, & Bikódal.

Solum ubique resolutum est, & pingue, inferne silice Jaspideo diversi coloris permixtum; ut supra § 3. Auri etiam, & argenti particulis saxa inprægnata esse indubium est, sed in tam exigua quantitate: ut operariis mercedem non rependant. Unde in proverbium de auri, & argenti fodinis Tólcsvensibus abivit: *quod earum cultura ter-*

tertia quævis generatio hominum decipiatur.

In cacumine collis Vár-hegy sunt rudera arcis, & lacus, seu paludis, a quibus Oppido nomen relictum esse aliqui autumant, quasi Tós-vár vocatum olim fuisset.

§ 47.

Erdő-
Benye
pagus.

ERDŐ-BÉNYE pagus, in montibus undique inclusa planitie, unde & nomen a sylvis mutuavit. 559. jugera terrarum arabilium continet, solum vinearum ubique lapidosum est: ut fortissimis bipallis subigi debeat, ager solo licet resoluto, tamen macro, & tritici impatiente; fœni facultas nulla nisi per montium cacumina, quæ æstate sicca extorrentur, vini tamen generosi ferax est. Eminent reliqua inter ædificia templum Divo Georgio Sacrum Catholicis usibus destinatum, sed & oratorium est Helveticæ Confessienis, nam utriusque religionis inhabitant incolæ, iique Hungari.

Anno 1604. possidebatur per Joannem Joó de Kaszaháza Personalis præsentia Regiæ in judiciis Locumtenentem, quem Isthvánffy Lib. 33. in bo-

bonorum amissione damnatum, & turri arcis Viennensis inclusum scribit.

Post annum 1630. possessioni ad Castrum Patak applicatæ dominabantur Rákóczii.

Anno 1700. per Franciscum Rákóczy Oppignorata est Stegnerianis.

Nunc ad Majoratum familiæ Nobilium Szirmay possidetur. Sunt tamen Comitibus Barkóczy, & Nobilibus Josa suæ Curia.

Colles vini feraces hic sunt præcipui: Tólcsva, Verömály, Zsabás, Barna-mály, Öfzvér, Mulató-hegy, & Vár-hegy, in quo rudera præallatæ § 46. arcis.

Ex clivis his complures fontes manant. Duo sunt magis memorabiles *Rednek* dictus, aquas stillat nitreas, coloris cærulei, qui valetudinis causa adhibetur balneis. Alter aluminosus *Szemgyógyító* vocatus ex eo: quod oculis medeatur, reliqui non tam Medici, quam potui vinitorum utiles.

Adjacēt pago diverticulum *Kis-Bénye*, ubi olim alium pagum stetisse Donatio Regia Caroli VI. pro Principe Thrauczon Anno 1720. facta indigitat.

§ 48.

Zsa-
dány
pagus

ARBONA-ZSADÁNY pagus, a rivis Arbona, & Zsadány, qui e monte Zsadány prorumpentes pagum interfluunt, & in Bodrogum influunt, nominatus, glebam frugum, & vini præstantissimi feracem, 313. jugera terrarum arabilium, fœnifecia ad Bodrogi ripam habet. Incolæ Hungari, Romano- & Græco Catholici, ac Helveticæ Confessione addicti, parochiæ Tólcsveni affiliati.

Anno 1321. duas possessiones *Orbon* & *Zsadány*, nunc conjunctas efficiebat, possidebaturque per Marcellum, & Juche pro effusione sanguinis eorum per Belam IV. Regem collata, uti sequens Diploma metas etiam harum possessionum describens, & Claustrum Patrum Dominicanorum in Patak mentionem faciens perhibet: „Excellentissimo Do-

„mino suo Carolo DEI gratia Illustri
 „Regi Hungariæ Capitulum Ecclesiæ
 „Agriensis &c. Literas Vestræ Serenitatis
 „recepimus continentes: quod
 „mitteremus hominem nostrum pro
 „testimonio fidedignum, coram quo
 „Andreas de Zombor homo Vester
 „sciret, & inquireret omnimodam ve-
 „ritatem: si possessio *Zadani* vocata

„ in

„ in Comitatu de Zemplén existens
 „ Marcello, & Juche pro eorum me-
 „ ritoriiis servitiis, & effusione sangvi-
 „ num eorundem per Dominum Belam
 „ condam Regem Hungariæ Claræ me-
 „ moriæ avum Vestrum exstiterit col-
 „ lata, & donata perpetuo possidenda,
 „ & quod privilegia eorum super ipsa
 „ possessione confecta in *Claustro Fra-*
 „ *trum Prædicatorum de Potoka* igne
 „ fuerint concremata? &c. Misimus
 „ hominem nostrum virum idoneum,
 „ videlicet *Nicolaum Sacerdotem de*
 „ *Zerench* Vice-Archi-Diaconum &c.
 „ qui diligenter inquirendo talem super
 „ præmissis scivissent veritatem: quod
 „ prædicta possessio *Zadány* Marcelli,
 „ & Juche prædictorum fuisset ab anti-
 „ quo, & privilegia eorum, super præ-
 „ dicta possessione confecta in *Claustro*
 „ *Fratrum Prædicatorum de Potoka*
 „ igne fuissent concremata. Metæ ve-
 „ ro, quibus dicta possessio *Zadány* ab
 „ aliis terris separatur, prout idem ho-
 „ mo noster nobis recitavit, hoc ordi-
 „ ne exprimuntur: Quod prima metæ
 „ incipit a parte Septentrionali juxta
 „ quemdam fluvium *Orbon-Potoka* vo-
 „ catum, in fine villæ *Orbon*, ubi est
 „ metæ terrea, deinde progreditur ver-
 „ sus orientem, & pertransiendo quem-
 „ I „ dam

„ dam montem lapidosum venit ad
 „ unam metam lapideam, deinde cir-
 „ cumeundo quemdam montem *Man-*
 „ *dalon* nominatum descendit versus
 „ fluvium *Zadán-Potoka* nominatum,
 „ & venit ad quoddam spinetum, ubi
 „ est meta terrea, deinde in eadem
 „ plaga eundo venit ad quasdam ma-
 „ gnas arbores populeas, pro meta
 „ assignatas, & ibi in conjunctione in-
 „ sulorum fluvii *Budrugh* pertransit ip-
 „ sum fluvium *Budrugh*, & per pra-
 „ tum, ac arbores versus meridiem di-
 „ scurendo super quoddam venit *pro-*
 „ *monthorium Zadány-halma* vocatum,
 „ ubi est meta terrea, deinde circum-
 „ eundo tres lacus *Hozzutou, Zelustou,*
 „ *Lapostou* vocatos progreditur versus
 „ villam *Wys*, & ibi ad jactum unius
 „ sagittæ circumdat quemdam fluvium
 „ *Turczer* nominatum, deinde regre-
 „ diendo versus occidentem circuit an-
 „ gulum *Budrug*, & eundo versus ean-
 „ dem plagam venit ad vallem villæ
 „ *Sára*, deinde reflectitur iterato ver-
 „ sus Septemtrionem, & pertranseundo
 „ fluvium *Budrug* venit ad quandam
 „ arborem pyri pro meta assignatam,
 „ deinde a partæ villæ *Sára* per ripam
 „ cujusdam lacus dilcurrendo venit ad
 „ duas arbores pyri pro meta assigna-
 „ tas,

„ tas, deinde ascendendo venit ad quan-
 „ dam vallem *Mocholaſton* vulgo vo-
 „ catam, & in eadem valle diſcurrendo
 „ circuit quendam montem *Zadany-he-*
 „ *gye* vocatum, & descendendo venit
 „ ad metam principalem, & ibi termi-
 „ natur. Datum tertio die quindena-
 „ rum Epiphaniæ Domini, anno 1321.
 „ Loc. 25. Nro. 73. Archivi Zempl.

Anno 1516. medietatem poſſeſſio-
 nis Claſtro Paulinorum Terebeſſienſi
 donavit Sigismundus Zrittey. Frag-
 men Corvi Eremit.

Altera medietas pagi poſſidebatur
 ad Caſtrum Patak per Perénios, & alios
 iis ſuccedentes.

Anno 1606. Portio Paulinorum oc-
 cupata fuit per Stephanum Bocskay.

Anno 1610. Patribus reſtituta. Faſc.
 210. Nro. 231. Arch. Zempl. & Art. 2.
 1613.

Anno 1666. Medietas ad Dominium
 Patak ſpectans per Principem Sophiam
 Báthory, & filium Franciſcum Rákóczy
 Reſidentię Patrum Societatis JESU
 Patakinenſi attributa. Not. Hiſt. § 564.

Anno 1678. altera medietas Decre-
 to provinciæ a Claſtro Paulinorum Te-
 rebeſſienſi avulſa, & ad Cænobium eo-
 rundem Patrum S. A. Ujhelienſe applica-
 ta. Fragmen Corvi Erem.

Anno 1773. Patribus Jesuivitis,
Anno 1786. Patribus Paulinis sublatis,
nunc in medietate ad fundum Studio-
rum, in altera medietate ad fundum
Religionis possidetur.

Colles vini feraces hic sunt: Zsa-
dány-hegye, Elő-hegy, Szár-hegy,
Szent-Ignác, omnes soli meridiano
obversi, & ideo plurimas uvas passas
proferentes.

§ 49.

Olafzi
pagus **OLASZI** olim *Olaz* pagus, in
Bodrogi ripa, ab Italis conditoribus di-
ctus, ut supra § 20. & Not. Hist. § 22.
solum fertile, frumenti, & vini ferax,
614. jugera terrarum arabilium, prata
fæcunda, sylvas glandiferas *Longh* Not.
Polit. § 55. memoratas, ac bene con-
servatas, in fluvio Bodrogo utilem pis-
caturam, incolæ Hungari Romano- &
Græco-Catholici Tempia distincta, ac
hi suum Parochum, illi Capellanum lo-
calem habent.

Anno 1244. Conditus est pagus per
Italos, qui vineas vitibus Italicis novi-
ter hic plantarunt. Ut supra § 20. &
Not. Hist. §. 22.

Anno 1252. Metas Venetorum in
Oloz,

Oloz, & *Potok* Cyprianus Comes de Sarus divisit. Ibidem.

ANNO 1257. Olaszienfes incolæ erant Vinitores Regii. Not. Polit. § 26.

Anno 1438. possidebat locum Joannes de Perén.

Anno 1504. Emericus de Perén possessionem avitam *Olaszi* Cænobio Terebelsienfi Patrum Paulinorum a se fundato contulit, uti sequentes literæ docent: „ Nos Wladislaus DEI gratia „ Rex Hungariæ &c. Quod fidelis noster sincere dilectus Spectabilis, ac „ Magnificus Emericus de Perén Comes perpetuus Comitatus Abaujvár, „ & Regni nostri Hungariæ Palatinus, „ ac Judex Cumanorum nostrorum eoram Nobis personaliter constitutus „ oneribus, & quibusvis gravaminibus „ Francisci, & Petri filiorum, nec non „ Barbaræ filiæ, aliorumque cunctorum fratrum, & consanguineorum „ suorum, quos infra scriptum tangeret, „ seu tangere posset negotium, super se, „ & cunctas hæreditates assumptis proposuit, & Confessus est in hunc modum: Quod quia ipse Comes, & „ Palatinus salutari Zelo ex Alto instinctus, & animo revolvens nihil „ esse homini magis firmum, & stabile „ in alio sæculo, quam merita, quæ

„ hominem sequantur, volens suæ, ac
 „ parentum, & majorum, posterorum-
 „ que suorum saluti consulere, atque
 „ pro suæ suorumque majorum, ac pa-
 „ rentum, & posterorum suorum ani-
 „ marum refrigerio Sanctum, & pium
 „ memoriale instituire, & post se re-
 „ linquere, simul etiam ea devotione,
 „ quam erga Beatissimam Virginem
 „ Mariam, DEI genitricem, in cujus
 „ glorioso nomine Clausum quoddam
 „ in Oppido suo *Terebes* vocato, quod
 „ per ipsum conditum, & fundatum
 „ existit, accensus, cuius patrocinio se,
 „ ac suos in conspectu DEI perpetuo
 „ foveri confidit, possessionem suam
 „ avitam, & paternam *Olaszi* videlicet
 „ vocatam in Comitatu *Zemplen* ha-
 „ bitam, simul cum cunctis suis utilita-
 „ tibus &c. Prout nos quoque confi-
 „ derantes bonam mentem, & factum
 „ salutare ejusdem Domini *Comitis*, &
 „ *Palatini* &c. dictam collationem, at-
 „ que donationem, *Elemosynariam*que
 „ ipsius largitionem per eum modo
 „ præmisso dicto *Claustro*, & *Fratribus*
 „ *Eremitis* coram Nobis factam ratam,
 „ gratam, & acceptam habentes, eidem
 „ *Donationi*, *collationi* &c. nostrum *Re-*
 „ *gium*, & gratiosum consensum præbui-
 „ mus, præbemusque benevolum pari-
 „ ter

„ ter & assensum &c. Datum Budæ
 „ in festo B. Martini Episcopi, & Con-
 „ fessoris, anno Domini 1504. Regno-
 „ rum nostrorum Hungariæ anno 14.
 „ Bohemiæ vero 34 L. S. Loc. 10.
 „ Nro. 367. Archivi Zempl.

Anno 1606. occupata fuit per Ste-
 phanum Bocskay.

Anno 1610. Patribus restituta. Fasc.
 210. Nro. 231. Arch. Zempl.

Anno 1678. Decreto Provinciæ
 a Claustro Terebetsiensi avulsa, & ad
 Clastrum Ujheliense applicata. Fragmen
 Corvi.

Anno 1786. Sublato Paulinorum
 Ordine, nunc ad fundum Religionis pu-
 blicum possidetur.

Terreno possessionis includitur di-
 verticulum *Csök-földe*, sive *terra osculi*,
 quod plebs a terreno Patakinensi avul-
 sum, & per Sophiam Báthory viduam
 Rákóczianam pro dato sibi per unum e
 Patribus Paulinis osculo iis traditum fa-
 bulatur.

Colles vitiferi sunt hic: Magoshegy,
 Somos, & Mandalin.

§ 50.

Petrahó pagus **PETRAHÓ**, olim *Patrowszkó*, *Patrowo* pagus, intra Olafzi, & Patak in ripa Bodrogi, glebam fertilem, 410. jugera terrarum arabilium, incolas Hungaros, Helveticæ Confessioni addictos ac proprio Ministro, & oratorio gaudentes habet.

Anno 1248. post vastitatem a Tartaris illatam locus etiam iste infessus fuit coloniis Italicis, qui vites noviter hic plantare cæperunt.

Anno 1257. Rex Bela IV. ob remedium animæ suæ Fratribus in *Thuruny* (sive uti Kaprinay habet) *Thurul S.* Augustini regulam profitentibus quatuor mansiones vinitorum suorum *villam inter Potok, & Olox* positas donavit. Ut supra § 20. Unde cum loci Domini fuerint *Patres*, voce a Latinis derivata per Ungaros *Pátereké*, per Russos oras has incolentes *Patrowszkó* & *Patrowo* dicebatur, sensimque *Patrowo* in *Paterhó*, ac tandem in *Petrahó* degeneravit, cum præsertim Hungari a Russis, & Slavibus pagum Patrum indigitantibus *Paterho drzi* frequentius audirent.

Turuny autem a turri Augustinianorum denominata, & perignarum lingvæ Ungaricæ scribam perperam *Thurul* vocata

cata possessio fuit *Toronya*, quam Augustinianorum fuisse infra § 52. videbimus.

Anno 1530. Revolutione Evangelii his in partibus suborta, posteaquam Religiosi Patres per Casparum Drágffy occupata possessione *Thoronya* Not. Hist. § 177. pulsi sunt, possessio quoque *Patrahó* per Petrum Perénium ad Dynastiam *Patakinensem* applicata, ex post eosdem heros, quos arx *Patakina* experta est, ac hodie quoque per defectum sexus virilis Principum a *Trauczon* ad Dominium *Patak* per *Cameram Regiam* possidetur.

Colles vitiferos in terreno proprio non habet possessio, sed collem *Patakinensem* sibi vicinum *Szent - Vincze*, olim ad Patres Dominicanos spectantem vitibus excolit.

§ 51.

SÁROS-NAGY- & KIS-PATAK Nagy, & Kis-Patak
 Oppida duo conjuncta, olim *Potok* & *Kittel-Pataka* dicta, prius in dextra, Oppida
 posterius in sinistra *Bodrogi* ripa, glebam da
 fertilem, ampla fœnifecia, lacus piscosos,
 colles vinis feraces, sylvas glandiferas
Longh, & *Esztava* nominatas, 1597. ju-
 gera, terrarum arabilium possident, in-

travillanum autem Oppidi Nagy-Patak 177,551. Oppidi Kis-Patak 104,661. in toto 282, 212. Orgias quadratas constituit. Incolæ Hungari, Romano- & Græco-Catholici sua templa, prout & Helveticæ Confessione addicti suum oratorium, Parochos, & Ministrum habent.

Nomen *Sáros-Patak*, sive cænosi fluvii acceperunt cum adventu Hungarorum in Pannoniam a transvadatione parvi fluvii, „ qui manans a *Satur-hal-*
 „ *ma* descendit, in *Budrug* per militem
 „ Hungarum *Rettel* patrem *Oluptulma*
 „ facta, qui per inundationem aquarum
 „ equo offendente in aquam submersus,
 „ & sociis ejus adjuvantibus vix a letho
 „ liberatus, unde locus ille per socios
 „ *Rettel* per risum *Rettel-Potoka* no-
 „ minatus est, terramque illam, quæ
 „ *Rettel-Potoka* vocatur, posteritas
 „ *Rettel* usque ad tempora *Andree*
 „ Regis filii *Caivi Ladislai* habuit. Ano-
 „ nym. *Belæ* Not. Cap. 15.

Primus ergo loci possessor ex Hungaris fuit per Donationem *Arpadi Ducis Rettel* pater *Oluptulma*, qui & conditor arcis fuisse videtur. Quia nulla arcis cum adventu Hungarorum occurrit mentio. Jam vero

Anno 1050. Rex Andreas I. locum *Pataka* cum posteris Retel cambiavit, & cum Regina Agumenda filia Ducis Ruthenorum securioris permanſionis cauſa (*quia timebat advettum Imperatoris Tentonicorum*) hic habitavit. Anonym. Cap. 15. Pray Annal. Lib. 1. Bonfin. Dec. 11. L. 11. Unde locum jam munitum fuiſſe indubium eſt.

Anno 1201. Emericus Rex Hoſpites de Potok iudicio ſui Præpoſiti ſubjicit, & hoc non ſufficiente Palatini, vel Regis, ac ut nullius alterius ſubjaceant iudicio, præcepit. Wagner MSS. Tom. I. pag. 310.

Anno 1212. Andreas II. Rex Patakini commoratus, ejuſque filia S. Elifabeth hic nata. Not. Hiſt. §. 18. Patak caſtrum fuiſſe pariter indicant.

Ab Anno. 1218. uſque 1330. inferior pars Comitatus a Caſtro Potok denominabatur *Comitatus Potokienuſis*. Not. Hiſt. § 12. 37. Quia vero Comitatum *Vár-megyè* denominatio a præcipua arce fiebat, arcis adhæc Præfectorum nomina in *Ritu explorandæ veritatis*, & Not. Hiſt. §. 13. jam de anno 1219. deſignentur, arcem jam antea ibi ſteſiſſe extra omne dubium eſt. Recenſentur autem Comites Potokienuſes ſequentes; Anno 1219. Gregorius. Anno

no 1229. Farkasius, Anno 1273. Ladislaus Comes de Beregh, & Potok. Anno 1223. Magister Danch Comes etlam de Zoliom, Anno 1323 Mychh Comes de Sarus, & Potok Anno 1330. Joannes filius Alexandri, de Comitatu Potokiensi, in Chron. Joan. de Thwrocław Cap. 96.

Anno 1252. post devastationem Tartaricam locus infessus fuit per colonias Venetas, sive Italicas, qui vites noviter his in partibus plantare, & colere cæperunt. Ut supra § 20.

Anno 1262. Stephanus junior Rex Belæ IV. filius hic habitavit, turrim arcis ex parte Septentrionali exstruxit, ac Comiti Michaëli filio Ubul donavit. Not. Hist. § 25.

Anno 1286. Mokyanus Palatinus hic Congregationem Generalem celebravit. Not. Hist. § 28.

Anno 1291. Andreas III. Rex recognoscit: quod Magister Georgius, filius Simonis Castrum Regium Potok Regiæ se submittendo gratiæ ad primum mandatum Regium sine difficultate qualibet resignaverit. Katona Tom. 4. pag. 1074.

Anno 1301. Patak in Diplomate Civitas Regia vocatur, acricque prælio inter Matthæi de Threnchén asseclas, & Re.

Regios milites ibi decertatum est. Kaprinay pag. 217. Timon Cassovia vetus, & Nova pag. 33.

Exposit Civitas Patak pro fideliter navata in bello hoc opera videtur fuisse Simonis Comititis Not. Hist. § 27. nominati filiis donata, cum iidem Anno 1321. castrum *Pothok* pro Castro *Purusthyan* cum Carolo Rege permutaverint. Kationa Tom. 8. pag. 431. & Windisch in Ungriſch Magazin Tom. 2. pag. 171.

Anno 1330. Joannes filius Alexandri de Comitatu Potokiensi Caroli Regis vitam servavit. Thwröcz. Chron. Cap. 96. Pray Annal. L. 2. pag. 26. Bonfin. Dec. 2. Lib. 9.

Anno 1366. Patak fuit Civitas Reginalis sive Reginarum Hungariæ, uti adjudicatoriæ per oppidanos in processu Urbariali in origine reproductæ perhibent, quas nos quoque in verbis ad rem nostram facientibus eo majore cum fiducia horum transcribimus: quod ex iis tam Magistri Tavernicorum Reginalium causas pure Civium Reginalium discutiendi, quam Judicis Curiae Regiæ de proprietate jurium judicandi acivitas pateat: „ Nos Comes Stephanus „ Bybek Judex Curiae Serenissimi. „ & Magnifici Principis Domini Ludovici, DEI gratia Incltyti Regis „ Hun-

„ Hungariæ. Memoriae commendamus
 „ tenore præsentium significantes, qui-
 „ bus oxpedit univcrsis. Quod Lau-
 „ rentius Sartor pro Stephano, filio
 „ Pauli de Butka, cum Procuratoriis
 „ literis Conventus Ecclesiæ de Lelesz
 „ juxta continentiam literarum Georgii
 „ Bybek Magistri *Tavernicorum Regi-*
 „ *nalium* fratris nostri Prorogatoria-
 „ rum in Octavis diei Strenarum in
 „ Anno Domini 1364. præteritis in
 „ figura judiciaria ejusdem Magistri Ta-
 „ vernicorum comparando contra *Ci-*
 „ *ves, & Hospites de Patak*, quas-
 „ dam duas literas inquisitionales, unam
 „ ejusdem Conventus de Lelesz, &
 „ aliam Vice-Comitis, & Judlium Co-
 „ mitatus de Zabólch, ambas Domino
 „ nostro Regi, ad suum literatorium
 „ Præceptum rescriptas, tenorem lite-
 „ rarum Regalium ipsis Conventui, ac
 „ Vice-Comiti, & Judlium directarum
 „ de verbo ad verbum in se habentes;
 „ asserens actionem, & propositionem
 „ ejusdem Stephani, filii Pauli
 „ literis explicari in eisdem, prout per
 „ literas ejusdem Magistri Tavernico-
 „ rum *Reginalium* exinde confectas in-
 „ formabamur, sibi præsentarant inter
 „ cætera sua ferie exprimentes: Quod
 „ Regius, & dici Conventus homines,

„ ac

„ ac duo ex Judlium Comitatus de Za-
 „ bólch ad infra-scripta rescinda trans-
 „ missi, in eisdemque literis nomina-
 „ tim conscripti in Comitatus Zem-
 „ plén, & Zabolch circumeundo, ab
 „ omnibus, quibus decuisset, & licuis-
 „ set, talem de infra-scriptis scivissent
 „ veritatem: Quod memorati *Cives,*
 „ & *Hospites de Patak* propria eorun-
 „ dem potentia ad faciem possessionis
 „ Gáva vocatæ prædicti Stephani, fi-
 „ llii Pauli venientes quoddam pratum
 „ ipsius defalcassent, & fænum in eo-
 „ dem habitum, & defalcatum aspor-
 „ tassent. Quarum literarum exhibi-
 „ tionibus factis, earumque perce-
 „ ptis tenoribus, & expositis præfato
 „ Laurentio Sartore Procuratore dicti
 „ Stephani filii Pauli eidem super
 „ præmissis ex parte prædictorum
 „ *Civium, & Hospitum de Patak*
 „ *judicium, & justitiam per ipsum*
 „ *Magistrum Tavernicorum Reginalium*
 „ *elargiri postulante;* Michael filius Kut-
 „ mer pro eisdem Civibus, & hospi-
 „ tibus de Patak cum Procuratoriis li-
 „ teris eorundem in ipsius Magistri Ta-
 „ vernicorum *Reginalium* exurgendo
 „ præsentiam responderat ex adverso:
 „ quod præfati Cives, & hospites de
 „ Patak annotatum pratum pot ntiali-
 ter

„ ter non defalcassent, sed ipsi Cives
 „ annotatum pratum tempore ab an-
 „ tiquo *nomine terræ, seu juris Regi-*
 „ *nalis intra metas dictæ Civitatis Pa-*
 „ *tak* existentis usi existissent, nec in
 „ aliquo adtineret possessioni Gáva præ-
 „ notatæ, quibus sic habitis, idem Lau-
 „ rentius Procurator præfati Stephani
 „ filii Pauli objecerat eo modo: quod
 „ metæ ipsius Civitatis Patak annota-
 „ tam possessionem Gáva in nulla sui
 „ parte attingerent, sed ipsi Cives de
 „ Patak ultra trium, vel quatuor pos-
 „ sessionum, seu villarum modo præ-
 „ misso potentialiter venientes præmissa
 „ perpetrassent, & in eo se idem Ste-
 „ phanus ad juridicam assertionem vici-
 „ norum, & commetaneorum, Compro-
 „ vincialiumque suorum Nobilium prom-
 „ ptus esset submittere, & paratus. Un-
 „ de quia ad reambulationem meta-
 „ rum possessionis Gáva, & dictæ Ci-
 „ vitatis Patak, ac ad revidendum, &
 „ rescindendum id: utrum ipsum pratum
 „ litigiosum intra metas dictæ *Civita-*
 „ *tis Patak*, vel annetatæ villæ Gáva
 „ existeret, & adjaceret? modo infra-
 „ scripto faciendâ, *Reginales*, & di-
 „ cti Conventus de Lelesz homines
 „ transmitti debuerant necessario. Ideo
 „ idem Magister Tavernicorum Regi-
 „ na-

„ narium ipsi Conventui scribendo, eo-
 „ rum amicitiam petierat reverenter :
 „ quatenus ipsorum darent homines
 „ utrisque partibus pro testimoniis fi-
 „ dedignos; quibus præsentibus *homi-
 „ nes Reginales* infradeclarandi in Octa-
 „ vis festi Beati Georgii Martyris tunc
 „ venturis, & aliis diebus ad id suffi-
 „ cientibus ad facies dictarum Civita-
 „ tis Patak, & villæ Gáva vocatarum,
 „ vicinorum, & cometaneorum tuorum
 „ legitimis Convocationibus habitis, &
 „ partibus, vel earum legitimis Procu-
 „ ratoribus præsentibus accedendo ;
 „ Primo metas dictæ possessionis Gáva
 „ juxta demonstrationem præfati
 „ Stephani filii Pauli, & demum me-
 „ tas dictæ Civitatis Patak ex parte
 „ ipsius possessionis Gáva secundum
 „ demonstrationem præscriptorum Ci-
 „ vium de Patak, vel Procuratoris eo-
 „ rundem reambularent, factaque ipsa
 „ reambulatione, de eo, utrum præ-
 „ missum pratum ligiosum intra me-
 „ tas dictæ possessionis Gáva ipsius
 „ Stephani filii Pauli, aut intra metas
 „ dictæ *Civitatis Patak Reginalis* fo-
 „ ret, & existeret? viderent, & intue-
 „ rentur, ac ab iisdem vicinis, & com-
 „ metaneis, comprovincialibusque No-
 „ bilibus ipsarum Civitatis, & posses-
 „ sionis

„ fionis, & aliis, quibus decens fieret,
 „ & opportunum hominibus, palam,
 „ & occulte scirent, & inquirerent
 „ omnimodam veritatem. Post hæc
 „ ipsius possessionariæ reambulationis, &
 „ revisionis metarum, ac inquisitionis
 „ seriem cum totius inibi peragendi
 „ negotii processu ad Octavum diem
 „ Octavarum dicti festi Beati Georgii
 „ Martyris, similiter tunc affuturi *Do-*
 „ *minæ nostræ Reginae* fideliter rescri-
 „ beret Conventus de Lelez prænota-
 „ tus. Et cum discussio præmissorum
 „ ab eodem Octavo die Octavarum
 „ festi S. Georgii Martyris diversis pro-
 „ rogationum cautelis intervenientibus
 „ juxta continentiam literarum prædi-
 „ cti Magistri *Tavernicorum Regina-*
 „ *lium* ad quindenas residentiae exer-
 „ citus Regalis contra Bulgaros moti,
 „ & ad Octavas festi Beati Michaëlis
 „ Archangeli in anno proxime præte-
 „ rito elapsas proclamatae dilative de-
 „ venisset; tandem ipsis quindenis ad-
 „ venientibus prædictus Laurentius Sar-
 „ tor pro ipso Stephano filio Pauli de
 „ Buttka cum Procuratoriis literis præ-
 „ dicti Conventus ab una, item Joan-
 „ nes filius Pauli pro se personaliter,
 „ & pro prædictis Civibus, & hospiti-
 „ tibus de Patak, *cum Procuratoriis*
 „ *literis*

„ *literis eorundem* (*) parte ab altera,
 „ *præsenti Cauſa eo: quod eadem fa-*
 „ *ctum poſſeſſionarium tangere digno-*
 „ *ſcebatur*, ad noſtram præſentiam de-
 „ ducta &c. &c. Ideo una cum Præ-
 „ latis, Baronibus, & Regni Nobilibus
 „ nobiſcum in iudicio confidentibus,
 „ metas ipſius poſſeſſionis Gáva ne-
 „ quaquam ultra ipſum fluvium Ticiæ
 „ extendi, nullumque jus, & juris pro-
 „ prietatem eandem ultra ipſum flu-
 „ vium Ticiæ habere agnoſcentes, ei-
 „ demque Stephano, filio Pauli, & ad
 „ ipſum pertinentibus ultra jam di-
 „ ctum fluvium Ticiæ pro uſu aliqua-
 „ rum terrarum, pratorum, ſylvarum,
 „ ſtagnorum, & quarumlibet utilitatum
 „ earundem tranſitum facere non poſſe
 „ decernentes, atque committentes præ-
 „ miſſam terram litigioſam cum ſta-
 „ gnis, pratis, ſylvis, & aliis omnibus
 „ ſuis utilitatibus, & pertinentiis uni-
 „ verſis, quibuſvis nominibus vocita-
 „ tis, in ſuperficieque ejuſdem a dicto
 „ fluvio Ticiæ verſus prælibatam Ci-
 „ vitatem Patak exiſtentibus, eiſdem
 „ Civibus de Patak adjudicavimus, &

K 2

„ com-

(*) Procuratorias literas ſub ſigillo proprio Patak expediebat, quod authenticam ſigilli Civitatenſis designat.

„ commisimus perpetuo possidere , te-
 „ nere pariter, & habere, salvis juribus
 „ alienis, præfato Stephano filio Pauli
 „ perpetuæ taciturnitatis silentium im-
 „ ponentes, ab eadem eundem pro in-
 „ debita requisitione, & recaptivatione
 „ ejusdem in ipsius æstimatione convi-
 „ ctum fore decernentes, atque relin-
 „ quentes. In cujus rei memoriam,
 „ firmitatemque perpetuam præsentem
 „ eisdem Civibus concessimus literas
 „ nostras privilegiales pendentis anthen-
 „ tici sigilli nostri munimine roboratas.
 „ Datum in Wisegrad sedecimo die Octa-
 „ varum festi Beati Martini Confessoris
 „ prædictarum, Anno Domini 1366.
 „ (L. S. pendentis.)

Anno 1390. Regia Civitas Patak per
 Sigismundum Regem Nicolao de Perén
 donata. Fasc. 211. Nro. 353. Arch.
 Zempl.

Anno 1411. Petrus de Perén seditio-
 sos Stephano de Debrö adhærentes pro-
 pe Oppidum Nagy-Patak profligavit.
 Not. Hist. §. 54.

Anno 1429. emortua in sexu virili
 Nicolai de Perén linea Civitas Nagy-Pa-
 tak ad Regias Sigismundi Imp. manus
 devoluta per eum *in cœtum, & nume-
 rum aliarum Liberarum Civitatum in
 Regno Hungariæ habitarnm aggregata
 est.*

est. Datum Agriæ feria 2. proxima post Dominicam Lætare. In processu Urbar. Oppidor. Product Nro. 7 & Z.

Anno 1436. per Sigismundum Regem Georgio de Palócz Archi Episcopo Strigoniensi oppignorata, in Mattheum de Palócz Régni Palatinum devoluta iterum fuit oppidum. Katona Tom. 12. pag. 750.

Eodem anno Mattyus de Palócz Palatinus Patakini generalem Congregationem celebravit. (*) Not. Hist. § 66.

Anno 1440. per Hufsitæ Bohemos arx occupata. Simon de Keza Part. 4. Cap. 34. Pray Annal. part. 2. pag. 343.

Anno 1459. Hufsitæ Bohemi arce exturbati, & profligati, & tunc mons Patakinensis *Király-hegy* a Regiis copiis nomen accepit. Kaprinay Dipl. part. 2. pag. 203.

Anno 1514. per Cruceatos concitata seditione Rusticana Patakinum occupatum. Wagner MSS. Tom. 1. pag. 324.

Anno 1526. Copiæ Zempliniensium ad fatalem campum Mohách profecturæ ibi recensabantur. Not. Hist. § 151.

K 3

Anno

(*) Congregationes generales ævo illo nonnisi eæ dicebantur, ubi Conventum Statibus Palatinus indixit.

Anno eodem Antonius de Pálócz
Supr. Comes, loci herus, & ultimus
firpis, in campis Mohách occumbens.
Isthv. Lib. 8. eodem tumulto, quo Mi-
chael frater Pincernarum Regalium Ma-
gister Patakini illatus est. Marmor e
subterranea Chrypta protractum, & pa-
rieti Septentrionem respicienti applicitum
hanc inscriptionem ostentat:

Hic situs Antoni es, Michaelque Pálóczia
proles,

Quos prius unus amor, nunc tenet urna
duos.

Ille domi clarus, Regali clarus in aula

Alter, nunc Supero est clarus uterque
polo.

1516. 1526.

Petrus autem Perénus arcem occu-
pavit, in ejus possessione tam per Fer-
dinandum, quam Joannem Regem con-
firmatus. Isthvan. Lib. 9.

Anno 1530. Lutheri dogma Pataki-
num invectum Religiosis viris partim ad
illud descendentibus, partim expulsis.
Not. Hist. § 175. usque 179.

Anno 1536. Ferdinandus Imp. cum
Joanne Rege inducias Patakini pepigit.
Not. Hist. § 186.

Anno 1542. Conventiculum Proce-
rum Regni ibidem habitum. Not. Hist.
§ 195.

Anno

Anno 1555. Dobóiani cum Perénianis pro Sáros-Patakina ditione litigarunt ; unde Gabriel Perénius Stephanum Dobó violata fide captum carceri mancipavit , fratrem vero ejus Dominicum vinctum Constantinopolim transmissit, cupiens eos e medio sublatos, ne litem prosequi possint. Isthv. Lib. 19.

Anno 1558. Exturbato Gabriele Perénio arx præsidio Regio firmata, ditio Patakina vastata. Isthv. Lib. 20.

Anno 1559. Art. 24. Patak Civitas compellatur , ad ejusque munitionem totus Comitatus ordinatur.

Anno 1566. Tartari Oppidum deprædati. Isthv. Lib. 23. Bethlen Hist. Lib. 5.

Anno eodem Gabriele Perény sine hærede decedente Dominium Patak in Fiscum Regium devolutum.

Anno 1578. Familæ Dobó per Maximilianum Imp. Oppignoratum. Not. Hist. § 255.

Anno 1601. Dobónibus in Francisco filio Stephani extinctis devolutum in Fiscum Regium. Not. Hist. § 341.

Anno 1608. Michaëli Lorántffy per Cameram Regiam venditum.

Anno 1610. Inductitia Corona Turcica olim Principi Bocshajo donata in arce Patak per Curatores Orphani Va-

lentini Drugeth ad manus Georgii Thurzó Comitis Palatini resignata. Georg. Závodszky in suo Diario.

Anno 1617. Georgius Rákóczy per connubium cum Susanna Lorántffy possessorium ejus adivit. Not. Polit. § 131.

Anno 1620. per Georgium Drugeth ditio Patakina vastata. Keteler. Timon, & Acta Diætæ Novizol.

Anno 1645. Conventus Generalis septem Comitatum Rákóczio subjectorum hic celebratus. Not. Hist. § 475.

Anno 1647. Georgius Rákóczy in possessione arcis per Donationem Ferdinandi III. confirmatus solutis 313,000. florenis. Not. polit. § 131.

Anno 1661. funus Georgii II. Rákóczy magno concursu hic peractum. Proth. A. 7. pag. 286. item Fasc. 217. Nro. 92. Arch. Zempl.

Anno 1664. Studiosa juvenus ex Collegio Reformatorum dispulsa. Unde Commissio Regia in negotio gravaminum Evangelicorum contra Sophiam Báthory magno præcipuorum virorum concursu Patakini celebrata. Fasc. 209. Nro. 122. Arch. Zempl.

Anno 1666. Nuptiæ Francisci I. Rákóczy cum Helena Zrinia magna frequentia hic celebratæ. Prot. A. 9. pag.

pag. 255. & Fasc. 217. Nro. 97. Arch. Zempl.

Anno 1668. Patres Societatis Jesu ad Arcem introducti. Not. Hist. § 564.

Anno eodem etiam Reformatorem scholæ, & Professores ad Oppidum reducti. Kazy Hist. Lib. 9. Lampe Hist. Eccl. pag. 590.

Anno 1670. Maleferiata conjuratione erumpente; Commendans Tokayensis Comes a Stahrenberg cum Officialibus Cæsareis ex insidiis per Rákóczium hic custodiæ mancipati. Not. Hist. § 568.

Anno 1671. ad arcem Germanicum præsidium inductum. Not. Hist. § 575.

Eodem anno arx reparata, molen-dinum navale in Bodrogo erectum. Fasc. 209. Nro. 124. 125. 128. Arch. Zempl. Collegium Reformatorem per Patres Jesuitas occupatum. Loc. 100. Nro. 431. Arch. Zempl.

Anno 1682. Schola Patakinensis Reformatis restituta.

Anno 1683. Philippus Baro de Saponara Commendans Patakinensis arcem Orphanis Rákóczianis restituit. Jesuítæ cum præsidio Germanico Szathmarinum discesserunt. Templum mæ-nibus arcis contiguum Reformatis traditum. Intererant receptioni Comes Eme-

ricus Tököly cum consorte Helena Zri-
nia, & Orphanis Rákóczianis.

Anno 1685. Exturbati ex templo
arcensi Evangelici ex mandato Regio
per Franciscum Klobusiczky Vice-Co-
mitem.

Anno 1687. Schola a Reformatis
adempta, exercitium religionis iisdem
interdictum, Ministro ad pagum Hoty-
ka semet conferente. Lampe Hist. Eccl.
a pag. 499. usque 503.

Anno 1697. Franciscus Tokay con-
citata seditione arcem patentibus portis
ingressus præsidium omne cum Vice-
Commendante Sturman, & Baronem
Alexandrum Vécsey trucidavit, tem-
plum Reformatis tradidit, mox inde
per Generalem Octavium Nigrelli ex-
turbatis. Not. Hist. § 688.

Anno 1701. cum Franciscus II. Rá-
kóczy motæ in Hungaria sedicionis au-
ctor fuisset, Anno 1702. Dynastia Pa-
takinensis in Fiscum Regium redacta,
arx vero cum multorum malorum quæ-
dam quasi fabrina esset, ex mandato
Leopoldi Imp. diruta. Fasc. 209. Nro.
141. 144. 145. Arch. Zempl. Reper-
ta fuisse in arce arma, quibus 15. mil-
lia militum armari poterant, & tormen-
ta etiam bellica Cassoviam translata
scribit

scribit Isaac Babocsay testis coævus, & in diruitione præfens.

Anno 1705. Schola Patakina cum templo, & parochia Reformatis iterum per Franciscum Rákóczy attributa. Lampe Hist. Eccl. pag. 518.

Anno 1708. Conventiculum Rákóczianorum Patakini celebratum. Sub quo Emericus Bezerédy magni nominis vir, quod conjurationem Rákóczianam averfatus cum sua legione ad Cæfareas partes transive meditaretur, carnificis manu obruncatus ante portam arcis vitam posuit. Fasc. 218. Nro. 247. 269. Arch. Zempl. Intrepido animo, non obligatis oculis sustinuit suplicium, indecorum fore, dicens, ut qui plures & toties contempserit gladios, nunc ad unius aspectum exhorrescat. Uti recenset Kollinovich testis coævus in MSS. Hist.

Anno 1714. Templum arcense, & Parochia Catholicis restituta, in possessione autem Oppidani Oratorii, & Scholarum Reformati confirmati. Not. Hist. § 753. 755.

Anno 1720. Carolus VI. Imp. Leopoldo Donato Principi a Thrauczon, Comiti in Falkenstein, hæreditario Aulæ suæ Præfecto, aurei velleris equiti, Actuali Intimo, & Conferentiali suo
Con-

Consiliario Dominium Patak, utpote arcem, & oppidum Sáros-Patak, nec non Oppida Nagy- & Kis-Patak, ac Ujhely cum *possessione Borfi szer*, possessiones, item Pertrahó, Végh-Ardó, Tökés-Csernahó, Kis-Toronya, portionesque possessionarias in possessionibus Bányácska, & Kovács-Vágátsi, ac prædio Vámos-Ujfalú, cum jure gladii, & patronatus Ecclesiarum donavit. Item abalienata Tólcsva, utramque Bénye, item Erdő-Bénye, portiones in Berczel, Gáva, Balsa, & Szabólc ad arcem Patak spectantia revindicandi facultatem tribuit. Loc. 100. Nro. 430. Arch. Zempl.

Anno 1722. Studiosa juvenus in Collegio Reformatorem gravem tumultum excitavit. Fasc. 209. Nro. 151. Arch. Zempl.

Anno 1731. Hospitale pro pauperibus Patakini fundatum. Fasc. 209. Nro. 153. Arch. Zempl.

Anno 1777. Convictum pro Nobili juvenute Generalis Nicolaus Beleznay ibidem fundare nitebatur. Loc. 100. Nro. 436. Arch. Zempl.

Anno 1780. Principibus Thrauczon in sexu virili emortuis, nunc Dominium per Cameram Regiam possidetur.

Anno

Anno 1786. Josephus II. Imp. inductis ad partem oppidi meridionalem Suevicis coloniis, illam a nomine suo *Jósef-falva* vocari præcepit.

Arx Patakina fuit opere firma, quam Petrus Perénius majoris ad instar munimenti mœnibus, ac fossis circumvallavit, ut patet ex literis ejusdem ad Civitatem Cassoviensem ex Castro Wjhely Anno 1534. datis, quibus operas erigendarum hujusmodi munitionum peritas sibi a Civibus submitti petit. MSS. Kaprinay Tom. 27. pag. 336. Patebit id etiam ab infra ex inscriptione sepulchri filii ejusdem Gabrielis de Perén. Absolvit opus Petrus Anno 1541. quod apparet ex insignibus, & epigraphe supra munimenti portam flumentanam lapidi insculptis: .

„ Felix Civitas, in qua verbum DEL prædicatur, & observatur illud. 1541. April. 16. „

Ostentat hucdum arx vetustam illam turrim *Vörös-torony*, quam a Stephano juniore Rege exstructam supra vidimus. Est ea quinque substructiones alta, muros tres orgias latos complexa, cujus apex in pyramidem assurgens turriculis quatuor, per totidem angulos exornabatur, asservabanturque in in ea thesauri

fauri Rákócziani, ut in proverbium apud Transylvanos abiret: *Patak vitte ell Erdélybül a pénzt.* Not. Hist. § 575. Scribit Isaacus Babocsay Tarzalinenfis Notarius Anno 1670. studiosum quempiam in Collegio Helveticorum monedulam aluisse, quæ dum curiosius volitaret in fenestram hujus turris rubeæ penetravit, indeque ex cumulo nummos aureos rostro sensim exportabat, & in theca Studiosi congregabat, qui dum jam ad ducentenorum numerum excrevissent, studiosus sibi metuens, ne advertatur, monedulam interemit, & ad exteras Academias profectus Patakinum deseruit.

Palatii arcem vel maxime ornavit Georgius I. Rákóczy. Testatur id marmor supra januam palatii in orientem spectantis, in quo insignibus Rákóczianis pulchre sculptis subscripta leguntur isthæc: „ DEO favente hæc Palatia „ Spect. & Magnif. Dominus Georgius „ Rákoczy de Felső-Vadász intra diem „ 22. Apr. Anni 1617. & 22. diem Augusti, „ anni 1618. FF. Non est currentis, neque volentis, sed miserentis „ DEI.

Alii possessores exiguam sui memoriam reliquerunt. Franciscus II. Rákóczy Caminum fumigatorium extruxisse

videtur, cui hæc incidi curavit: „Vir-
 „tutem præsentem odimus, amissam
 „quærimus. Anno 1700. F. R.

Qua ad arcem interiorem itur, vi-
 situr immane os supra portam pendu-
 lum, quod incolæ ex Crure Gigantis
 esse prædicant.

Præfectorum arcis nomina sequentium
 solum erui poterant:

Anno 1229. Zuga Castellanus, &
 Curialis Comes de Potok nominatur in
 ritu explorandæ veritatis § 371.

Anno 1300. Georgius filius Simonis
 Comes de Zobolch, & Castellanus de
 Potok. Katona Tom. 4. pag. 1233.

Anno 1548. Ambrosius Wègh Præ-
 fectus castri Patak. Pray Annal. Lib.
 5. pag. 417.

Anno 1671. Comes Stahremberg.
 Fasc. 209. Nro. 128. Arch. Zempl.

Anno 1681. Philippus Baro de Sa-
 ponara Not. Hist. § 639.

Templum parochiale, quod in arce
 visitur, exstructum est per Pálóczios,
 cum porta ejus arcem interiorem respi-
 ciens annum 1492. insculptum ostendet;
 male ergo per Cl. Stephanum Wefzpré-
 my in Biogr. Medic. Tom. 4. pag. 335.
 illius a fundamentis excitator Petrus Pe-
 rénius

rénius adstruitur, qui illud potius pro
usibus Helveticorum adaptavit.

Parochi porro Patakinenses erant vi-
ri præcipui. Jam supra sub Emerico
Rege vidimus fuisse præpositum. Joan-
nem Plebanum de Potok Regi Step-
hano fuisse acceptum memoravimus. Not.
Hist. § 24. Ao. 1366. Alexander Pleba-
nus in reambulatione metarum Reginalis
Civitatis Patak erat homo Regius. Ao.
1526. Parochus loci Michael de Ráska
itidem fuit Præpositus. Fasc. 209. Nro.
121. Arch. Zempl. Anno 1503. Geor-
gius parochus fuit Episcopus Bodonien-
sis. Fasc. 232. Nro. 10. Arch. Zempl.
Anno 1790. Stephanus Györky Præpo-
situs B. Mariæ Virginis de Ság. Reli-
quorum etiam Sacrorum Curionum no-
mina lubenter huc inseruissemus, sed ab
iis, qui suppeditare poterant, impetra-
re non potuimus. Hodiernum Paro-
chum scimus esse Joannem Kovalik, una
Vice-Archi Diaconum Insulanum.

Ipsa etiam Parochia in honorem
S. Joannis Bapt. fundata Fasc. 209.
Nro. 121. Arch. Zemp. fuit a juris-
dictione Diocesani Episcopi exempta.
Id testatur lis suborsa inter Joannem
Archi-Episcopum Strigoniensem, & Ste-
phanum Episcopum Agriensem. Archi-
Episcopus prætendebat Monasterium S.
Cru-

Crucis de Lelesz, parochias item de Patak, & de Ujhely quoad totalem obedientiam, & jurisdictionem spirituales ad se pertinere, cum partes inter se convenire non possent, Joannes Archiepiscopus appellavit ad Bonifacium Papam IX. & ejus Sacram sedem Apostolicam Anno 1399. Quam controversiam Bonifacius sic decidit: „ ut „ Monasterium S. Crucis de Lelesz, & „ parochiales Ecclesiæ de Nagy Patak, „ ac de Wjhely, nullum alium, præter „ Archiepiscopum tanquam immediatum Superiorem recognoscere, & eidem, ac nulli alteri obedientiam, ac reverentiam debitas exhibere, ac ad Synodum ejusdem Archiepiscopi, quoties illa celebrari contingeret, accedere, & pro procurationibus Legatorum, ac provisionibus nunciorum Sedis Apostolicæ persolvendis, & aliis oneribus supportandis contributionem debitam facere debeant. Dat. Romæ apud S. Petrum Calendis Maji, Pontificatus Anno II. Christi 1400. Katona Tom. 11. pag. 481. 510. & Péterffy Conc. Part. 2. pag. 288.

Lege etiam publica Regni art. 25. 1545. Parochia Patakinensis inter præcipuas numeratur.

Jus demum Patronatus hujus Ecclesiæ fuit Anno 1526. penes Familiam de Pálócz. Anno 1720. penes Principer Thrauczon. Fasc. 209. Nro. 121. Loc. 100. Nro. 430. Arch. Zempl.

Sepulti jacent cineres in hoc Templo Michaelis, & Antonii Pálócziorum ut supra. Petri, & Gabrielis Perénii, hujusque Consortis Helenæ Ország. Stephani, & Francisci Dobónis, Susannæ Lorántffy, Georgii, & Sigismundi Rákóczy, ac Henricæ filiaë Friderici V. Palatini, Claræ, & Barbaræ Zekell.

Petrum, & Gabrielem Perénios in Templo hoc Patakinensi, & non Terebesiensi fuisse sepultos evincit Oratio, quam Basilius Fabritius Zikzay Ludi Magister de vita, & obitu Gabrielis in Sáros Patak occasione funeris recitavit. Witteb. Anno 1568. in 4. plag. 6. typis Joannis Cratoris impressa, cujus unum exemplar nos quoque possidemus, & quæ sequentes inscriptiones monumenti, aræ, & vexilli sepulchralis subjunctas exhibet.

Erat Patakinum complurium etiam Religiosarum Familiarum domicilium. Anno 1255. Claustrum Ordinis Prædicatorum jam ibi fuisse patet apud Cl. Kátona Tom. 6 pag. 240. Item Pray Hier. Ung. Tom. 1. pag. 198. Claustrum idem
anno

anno 1322. incendio deletum, in eoque literæ Privilegiales Comitibus Marcello, & Juche super possessione Zsadány per Belam Regem datæ conflagrasse exponuntur. Fasc. 209. Nro. 120. Arch. Zempl.

Monialium Ordinis S. Claræ ad S. Annam odæum Anno 1380. in Patak stetit. Not. Hist. § 51. probavimus, cujus rudera in suburbio ultra fossam hodieum occurrunt.

Aliæ Moniales Ordinis S. Ursulæ ad S. Spiritum e regione Claustrum Franciscanorum, nunc Collegii Reformatorum cænobium habebant.

Patres Franciscani locum illum incolebant, ubi nunc Collegium memoratum visitur. Not. Hist. § 151. 179.

Patres Societatis Jesu Sophia Báthory Anno 1666. adduxit, quorum foundationis seriem Not. Hist. § 564. cum Regia Leopoldi Imp. confirmatione dedimus.

Trinitarios de redemptione Captivorum Anno 1694. fundavit Georgius Körösy bonorum Rákóczianorum Præfectus, eorumque foundationem Ao. 1734. Princeps Thrauczon, & Comes Aspremonth aliis rebus auxerunt. Clau-

strum eorum hanc Inscriptionem præfert:

VNI trInoqVe Deo, Ioanni a Matha,
feLICI a VaLols, Vtpote sVIs patronIs-
reLIgIoVs orDo sanCtæ trInItatIs
e plorVM obLatIonibVs ereXIt.

Patakinensis Conventus Franciscano-
rum fuit reliquis Conventibus eminentior, quia fuit Custodia, habens certum numerum tam Conventuum, quam fratrum sub sua directione. Pertinebant ad Custodiam Patakinensem Conventus Patakinensis, Szantóviensis, Czékenis, Sóvárinenis, & Homonnenis, in quibus Anno 1525. numerabantur patres 98. Erant tunc in Hungaria tales Custodiæ 10. numerus Conventuum 73. numerus Patrum, & fratrum 1473. Uti testantur annales Ordinis pag. 29.

Anno 1527. celebratum est Capitulum Provinciale in Conventu de Sáros-Patak, Dominica Jubilate, in quo in Ministrum Provinciale unanimi Patrum vocalium consensu iterato electus fuit Pater Gabriel de Péch-Varadino, licet jam senio confectus, fuitque in ordine quintus Minister Provincialis. Annal. Ord pag. 27.

Ad fundationem Monialium in Claustro Sáros-Patak ad S. Annam degentium

tium Anno 1391. pertinebat medietas possessionis Toronya Fasc. 204. Nro. 597 Arch. Zempl Anno 1556 Ferdinandus Rex annuit: ut Matthias Viczmándy, & Sigismundus Thorda possessionem Sancti-Monialium de Sáros-Patak Csernahó vocatam occupare possint. Item Anno 1560. idem Rex confirmavit: ut Sigismundus Thorda possessionem Csernahó in Comitatu Zemplén existentem olim ad Moniales S. Claræ in Castro Sáros-Patak degentes pertinentem secundum transactionem cum Monialibus ejusdem Ordinis in Claustro Tyrnaviensi agentibus factam possideat. MSS. Kaprinay Tom. 23. pag. 20. 23.

Indu Literarium jam ante Cladem Moháchianam Patakini fuisse ostendimus Not. Hist § 174. quem dein Petrus Perénus Anno 1531. in Scholas Evangelicorum transformavit, filius Petri Gabriel stabilibus redditibus auxit, ejusque voluntatem Maximilianus II. Imp. ratam habuit, uti patet ex Actis Diætæ 1662. Susanna demum Lorántffy bonorum Király-Helmecziensium, & Dobó-Ruzkenium proventus eidem Scholæ Patakinæ legavit testamento in Patak 30. Octobr. Anno 1658. condito. Loc. 100. Nro. 435. Arch. Zempl.

Schola hæc Anno 1672. per Sophiam Báthory turbata transivit Albam Juliam in Transylvaniam. Anno 1683. revenit Patakinum, rursus Anno 1687. vice altera loco dimota Gönczium transivit, Unde Anno 1695. Cassoviam translata, Anno 1696. in suburbio illocata, Anno 1703. bello Civili dissipata, antiquam suam sedem Anno 1704. Patakini recuperavit, ibique hodiedum viget.

Inscriptio portæ Collegii sequens est:
 „ Orate pro paCe HlerosoLIMæ, pos-
 „ tVLate, Vt slnt beati, qVI tibi
 „ faVent. — Fiat paX In CirCVItV
 „ tVo, & qVies In ConCLaVibVs
 „ tVIs. Psal. 122.

Protege, conserva, convertas, destrue, sana,
 Primores, populum, hostes, rixas, vulnera
 nostra,

Professores ejus inde ab Anno 1531.
 erant sequentes:

1. *Stephanus Kopácsy* circa annum 1531. Scholæ præfectus fuit, sed qui hinc circa An. 1542. Vittebergam abiit, unde redux, posteaquam Erdödini, & Rivulini Ecclesiis, & Scholis præfuisset 1549. Patakinum ad regendam Scholam, & Ecclesiam revocatus fuit, quo tempore

pore Schola Patakienſis antea trivialis formam Collegii induit. Obiit An. 1562. qua ſenior Tractus Zemplénien. (*)

2. *Joannes Vitus Balsaratus* circa 1560. Profeſſor factus, obiit Paſtorem ſimul agens Patakini 1575.

3. *Franc. Czeglédy* 1557. *Stephano Kopácsy* ſenio jam fracto adjunctus, ejus ſimul gener, ſocero non tantum in Officio Paſtoris Patakinenſis, ſed & in munere Seniorali ſucceſſit, mortuus Patakini 1590.

4. *Baſilius Fabritius Szikszoviensis* 1561. Profeſſor factus, 1564. Claudio-polim vocatus, 1566. Patakinum reverſus, ibi 1576. obiit.

5. *Petrus Beregſzázy* 1574. *Varadinum* pro Paſtore abductus 1576.

6. *Michael Pakſi* 1576. *Fabritio* ſuffectus, 1577. *Agriam* pro Paſtore evocatus.

7. *Georg. Cæſar Caſſoviensis* 1578. ſimul Paſtor Eccleſiæ Patakinæ 1586. mortuus.

8. *Matthias Thoraconymus* 1580. muneri valedixit 1587.

L 4

9.

(*) Proverbium de hoc: *sequere Kopácsy* Not. Hiſt. § 179. deduximus.

9. *Casp. Pilczius* 1587. munus depofuit 1597.
10. *Casp. Pefthi* 1591. una munere Paftoris functus, 1596. mortuus.
11. *Demetr. Krakay* aliis *Karkai* ufque annum 1598.
12. *Emer. Katona Ujfalvinus* 1599. expoft Concionator Aulicus Magnif. Sigismundi Rákóczy.
13. *Moyses Kézdi Vásárhelyi* 1601.
14. *Joh. Vásárhelyi.* 1603. 1608.
15. *Joh. Alexis Kecskeméthy* 1608. una Paftor Ecclefiaë 1609.
16. *Mich. Lány Szepfinus* 1610. Paftor Ecclefiaë Gönczienfis factus 1613.
17. *Steph. Sidenus Szikszoviensis* 1612. mortuus 1623.
18. *Georg. Korocz Szepfi* 1614. Tokaino ex Ministerio evocatus, 1620. Tokainum reditit.
19. *Georg. Lövey* 1615. dein Paftor Madenfis 1618.
20. *Joh. Boros Szenczy* 1616. mortuus 1622.
21. *Joh. Filitzki* 1622.
22. *Mart. Dey Muraközy* 1622. eodem anno peste fublatus.
23. *Steph. P Tolnai* 1623. dein Concionator Aulicus Georgii Rákóczy. 1626.

24. *Joan. S. Simándy* 1626. factus Pastor Ujheliensis 1636.
25. *Math. D. Komjáthi* 1626 dein Pastor Tólcsvensis. 1630.
26. *Georg. Zemlényi* 1626. dein Pastor Vinenfis. 1631.
27. *Georg. Salánky* 1629. demum Pastor Mádensis 1635.
28. *Bened. Bakai* 1630.
29. *Andr. Ruszkai* 1631. demum Pastor Bényensis 1636.
30. *Mich. Dobraviczai* 1634.
31. *Paul. L. Szepsi* 1636. demum Pastor Patakinensis.
32. *Franc. Verötzi* 1636. Rector Scholæ, demum Pastor Tállyensis.
33. *Joh. D. Bényei* 1637. dein Pastor Madensis 1641.
34. *David Valerius* 1637.
35. *Stephanus Fövényeysi* 1638. factus Pastor Szentpéteriensis. 1639.
36. *Joh. D. Tolnai* 1639. Miskolczinum pro Pastore abiit 1642. reductus 1649. tandem Pastor Tarczalinesis 1656.
37. *Dan. P. Kolosi* 1640. dein Pastor Beregszáziensis 1642.
38. *Mich. Szentpétery* 1641.
39. *Joh. Zebegnyei* 1643. dein Pastor Tállyensis 1646.
40. *Paul. Tarczali* 1644. pro Con-

rectore vocatus, demum Pastor Göncziensis.

41. *Casp. P. Szepfi* Conrector 1645.

42. *Steph. Benjamin Szilagyi* 1645.

Varadino Patakinum vocatus, Tólcsvam pro munere Pastoralis transit 1647.

43. *Alex. Huszty* 1646. vix sex menses exegit, litibus Tolnaianis implicatus.

44. *Joh. S. Szentpéteri* 1646 pro Pastore Bodrog-Kerefturinum fecelsit 1649.

45. *Math. Nógrády* 1648. Döbröinum pro Pastore evocatus. 1649.

46. *Joh. Herczeg Szöllösi* 1647 Conrector, factus Pastor Tólcsvensis 1654.

47. *Andreas Váczy* 1648. munus Pastoralis amplexus 1649.

48. *Thom. Ujváry* 1649. Conrector, muneri valedixit 1650.

49. *Joh. Amos Commenius* 1650. in Reformatorem Scholæ evocatus, muneri valedixit. 1654.

50. *Steph. Veregyházi* 1651. Præceptor Classium Superior.

51. *Mich. Tonfæus* 1652. Varadino Patakinum vocatus, dein Pastor B. Kereftúriensis 1655.

52. *Steph. Ötvös Száthmáry* 1653. Conrector, factus Minister Érsek-Ujváriensis. 1656.

53. *Paulus Szántai* 1654. dein Pastor Tólcsvensis.

54. *Mich. Buzinkai* 1656. una cum Collegio per Sophiam Báthory pulso Transylvaniam petiit, & Albæ Juliæ muneri immortalus est. 1683.

55. *Sam. Lippai* 1656. dein Debrezini Professore egit 1660.

56. *Melch. Batzonyi* 1656. mortuus 1662.

57. *Joh. Posaházy* 1657. in scholam Patakinam vocatus, pariter ac Buzink y cum Collegio in Transylvaniam abiit, & Albæ Juliæ 1686. obiit.

58. *Valent. Köpeczi* Med. Doctor 1665. Professor tertius, muneri valedixit 1668.

59. *Andr. Sellyei* 1669. Pedagogiarchæ titulo vocatus, munus istud post tres menses cum Pastoratu Patakinensi permutavit.

60. *Joh. Tsétsi* post reditum studioforum ex Transylvania 1686. Professor illis datus, muneri varias inter vicissitudines immortalus est 1708. Patakini.

61. *Steph. Simándi* 1709. ex peste obiit 1710. Hanc tumuli inscriptionem habet: „ Mykrokosmos erat - - -
- - - - cui natura parem non de-
„ dit orbe magum,

62. *Andreas Füleki* 1711. per factionem Joh. Tsetsi junioris 1717. ex-auctoratus, Minister loci factus est.

63. *Joh. Tsétsi junior* 1713. per mandatum Regium 1734. ab officio amotus, privatam vitam Patakini clausit 1769.

64. *Greg. Szomolló Nagy - Mihályi* 1719. ob lites cum Tsétsio, & disturbia ex illis enata eodem mandato Regio Caroli VI. Imp. 1734. munere amotus, Tsetinum pro Pastore abducus est.

65. *Mich. Paksi Szathmári* 1734. in munere mortuus 1744.

66. *David Sárkány* 1734. dein 1758 hemiplexia fractus Miskóltzini vitam privatam clausit. 1762.

67. *Mich. Paksi Szathmári* filius Nro. 65. memorati, primum Prof. Ling. Orient. Cat. & Eloqv. factus est 1742. sed mox in Ecclesiam Csatiensem secessit 1743. mortuo vero patre 1744. eidem successor datus 1771. apoplexia factus, vitam, 1778. Patakini finiit.

68. *Steph. Bányai* 1744. muneri valedixit 1767.

69. *Paulus Paksi Szathmáry* Med. Doctor. 1759. munere, & vita defunctus 1766.

70. *Joh. Szentefsi* 1767. mortuus 1781.

71. *Steph. Szent Györgyi*, qua interimalis Prof. evocatus 1707. innox 1770. pro Ordinario declaratus, hodie dum munus suum Continuat.

72. *Mich. Paksi Szathmáry*, filius Michaelis Nro. 67. notati, 1771. Patakinum ex Academiis appulit, 1772. lectiones suas orsus, 1773. mortuus.

73. *Gabr. Fülep Öry* SS. Theol. Doctor, ex Ecclesia Afzfaloviensi in Prof. Theol. & successorem Michaëlis Paksi Szathmáry evocatus 1773 nunc Summus per Districtum Cis-Tibiscanum Superintendens.

74. *Mart. Szilágyi* 1773. mortuus 1790.

75. *Joh. Szombathi* 1783. hodie dum in munere perseverat.

76. *David Szabó* 1792. successor Martino Szilágyi datus, munus continuat.

Ministri Evangelici Patakinenses apud Lampe in Hist. Eccl. pag. 597. sequentes recensentur:

Anno 1532. Michael Sztáray, allis Ztari, sive Ztarinus Not. Hist. § 179. memoratus, Stephanus Kopacsi.

1568. Franc. Czeglédy.

Galpar Pesthy.

1586. Georg. Cæsar Cassoviensis.
Thomas Tholnay.
1609. Joan. Alexis Kecskeméthi.
Mich. Orvos Sári.
Georg. Balogi.
1629. Steph. Károlyi.
Johan Jüsüs Pataki.
1632. Steph. Tholnay.
Petrus Tholnay.
Paulus Ar dai.
Steph. Keresztszegi.
Mich. Pofaházy.
Eranc. Vereczky.
Paulus Megyefsi.
1655. Samuel Lippai.
Steph. B. Sellyei.
Petrus Szerencsi.
Mich. Várady.
Matthias Szántay.
Gregor. Némethy.
1687. Paulus Ember Debreczeni.
1695. Petrus Gönyüi.

Celebris etiam Typographia Rákócziana fuit Patakini. Meminit illius Paulus Walafzky in Conspectu Reip. Litter. pag. 205. Confessio Reformata Tarczaliensi - Tordenlis. Anno 1562. confecta, sub titulo: *Compendium Doctrinæ Christianæ* Patakini recusa Latine, & Hungarice Anno 1655. cura Prin-

Principis Sufannæ Lorántffy Georgii Rákóczy viduæ. Exemplar reconciliatio-
nis cum Hungaris factæ Anno 1606.
Conditiones pacis inter Romanorum
Imp. Rudolphum II. ac Hehomatem I.
Suitanum, item Articuli Diætales 1608.
1609. 1613. 1618. 1622. 1625. 1638.
1647. 1649. Patakini typis editi recen-
sentur in Bibliot. Cornides pag. 170.

Maximilianus Imp. & Rex Oppido Sá-
ros - Patak, & Suburbio Kis - Patak
sequentes libertates concessit:

1mo. Per universum Regnum sint
immunes a telloniorum solutione.

2do. Eligant sibi Judices, qui ta-
men coram Provisore juramentum de-
ponant.

3tio. Eligant Magistrum Fori, qui
habeat antiquas *accidentias*, sive pro-
ventus ex foro.

4to. Habeant jus gladii, exceptis
Casibus læsæ Majestatis, proditionis, &
incendii.

5to. Vina sua educillent toto anno
præ er 18. vasa vini in tribus terminis
pro Dominio epocillanda.

6ta. Liberam inductionem mercium,
& victualium habeant.

7mo.

7mo. Soluta Nona, & decima, vinum, fruges, & alia libere distrahant, Provisor tamen habeat præemptionem.

8vo. Præemptiones in foro ante horam decimam matutinam non fiant.

9no. Extraneis domos in Oppido non habentibus, nec onera publica ferentibus vinum educillare, & quæstum exercere non licebit.

10mo. Nobiles in Oppido degentes Judici loci suberunt, & onera publica ferent.

11mo. Artifices in Tribus, & Cehas dividuntur.

12do. Sigillo authentico Oppidum utetur.

13tio. Ministris Ecclesiæ proventus per Gabrielem Perény limitati expost etiam conceduntur.

14to. Abusus exactionum tempore Perénianorum inducti tolluntur, utpote *vini penna*, & *Nummi subtractitii* in emptionibus, & venditionibus, ac unico modo nonandi, & decimandi observabitur. Tenutorum vero liberam emptionem, & venditionem habebunt Dat. in Arce Wolkersdorf. 21. Aug. 1572.

Ferdinandus II. Imp. nundinarum celebrationem Proth. 38. pag. 418. Arch. Zempl. tali Regio Diplomate indul-

dulfit: „ ut in oppido Sáros - Patak
 „ -quaternæ nundinæ liberæ, seu fora
 „ annualia libera in festivitibus S. Ge-
 „ deonis, hoc est 30. Martii, item Do-
 „ minica Exaudi, sive festum Sacræ
 „ Pentecostes præcedente, nec non fe-
 „ sto S. Ladislai, hoc est 28. Junii,
 „ denique festo S. Gebhardi, sive 27.
 „ Augusti perpetuo celebrentur. Dat.
 „ Viennæ 15. Julii 1634.

Colles viniferos habent oppida hæc præcipuos Király-hegy, Megyer, Szög-fő, Darnó, & Hofzfú-hegy. In Megyer est etiam lapidina saxi candidi, & molis idonei, ideoque tota hac ora celebris. Ibidem & fontem aquæ frigidæ, nitidæ, & salubris observavimus. Sejungitur ab his Septemtrionem versus collis peramœnus Somlyó dictus, vitibus ex omni parte confitus, qui olim mille, & amplius dolia vini proferens pro usibus mensæ Rákocziorum colebatur. Subjecta erat colli amplior domus vinaria, & fons aquæ saluberrimæ, columnis ex secto lapide elegantis sculpturæ circumseptus, ac quod mensæ Rákocziorum deserviret, *Fejedelem - Kúttya* vocatus, nunc rudera solum columnarum ostentat, ipse vero collis per vicinos ei Károly- & Thrauczon salvenes incolas vite colitur.

Adjacet terreno Oppidorum prædium *Abaj-Homok*, olim duas possessiones constituens. Nam Anno 1366. *Abaj* fuit Ladislai, filii Joannis de Tolchua, *Homok* vero fuit Ladislai de Ágóch possessio, uti literæ intra possessionem Gáva, & oppidum Kis-Patak metas distingventes perhibent: „ Con-
 „ ventus de Lelesz petitionibus Magi-
 „ stri Tavernicorum Reginalium satisfacere cupiens, ut tenetur, Religiosos viros Fratrem Andream cum Nicolao de Kuppony pro parte Actoris, & Fratrem Petrum cum Discreto viro *Domino Alexandro Plebano de Patak* homino
 „ Regio speciali pro parte Civium de
 „ Patak in causam attractorum cum hominibus Reginalibus homines ipsorum
 „ pro testimoniis transmisisset. Qui tertio die Octavarum festi Beati Georgii Martyris accessissent ad facies possessionis Gáva &c. ubi &c. possessiones
 „ Ladislai filii Joannis de Tolchua Fel-
 „ sen-Kenezlen, & *Aba* vocatas eisdem
 „ recte vicinari &c. Item Ladislaus de
 „ Ágóch dixisset: ut præattactæ possessioni *Aba* possessio sua *Homoky* vocata vicinaretur &c. Anno 1366. Ex
 „ Autogrepho Oppid. Patak. Possessiones hæc post annum 1526. desolatæ, demum ad arcem Patak per potentes ejus
 heros

heros occupatæ, Anno 1666. Residentiæ Patrum Societatis Jesu per Sophiam Báthory attributæ, nunc prædia ad Parochum Patakinensem Romano-Catholicum pertinent.

§ 52.

SÁTOR - ALLYA - UJHELY Sátor-allya-Ujhely Oppidum
 Oppidum antiquissimum. Jam enim cum adventu Hungarorum in Pannoniam stabat, & *Sátor-halma* vocabatur. Anonym. Belæ Notar. Cap. 15.

Nomen accepit a monte *Sátor*, tensorii expansi formam præferente, cui subjacet, stabatque alio loco declivi ad ripam sinistram amnis Ronyvæ, exundationi ejusdem, & Bodrogi obnoxio, ubi rudera ejus hodieum visuntur.

Anno 904. Primus ex Hungaris loci possessor fuit *Rettel* pater *Oluptulma*, cui Dux Arpad totam terram cum habitatoribus suis a *Sátor-halma* usque fluvium *Tulsuva* condonavit. Anonym. Cap. 15.

Anno 1110. donatum est Oppidum per Regem Colomannum Comiti Ratholdo, qui de Regno Apulorum de Caeserta venit. Thurócz Chron. Cap. 17.

Anno 1241. per Tartaros eversum Oppidum, Anno 1250. translocatum

est ad dextram fluvii Ronyvæ ripam, locum elevatiorem, ab exundationibus liberum, ad radicem montis *Sátor*, compellarique cœpit *novus infra Sátor locus*. *Sátor-allya-Ujhely*, sive Tabernaculorum Neapolis

Anno 1298. possessio Wjhely fuit Magistri Kokos, filii Magistri Stephani, de genere Rathólth Comitis Tolnensis, & de Budrugh, Anno 1299. per Comitem Joannem de Zoda occupata, uti sequentes literæ, una formam antiquæ *Sententiæ Curialis* exhibentes perhibent: „ Nos Comes Srephanus Vice-
 „ Judex Curiae Regiæ Domini Regis
 „ memoriæ commendantes significamus:
 „ Quod cum Magister Kokos, filius
 „ Magistri Stephani de genere Ratholth
 „ Comes Tolnensis, & de Budrugh personaliter adstans contra Comitem Joannem de Zoda, pro quo Nicolaus de Ungh, & Matthæus servientes ejusdem cum Procuratoriis literis Omodei Patakini comparuerunt in figura judicii, & quia negotium grande erat, ipsam Causam ad præsentiam Domini Andreæ Illustris Regis Ungariæ deduximus decidendam. Magister Kokos exhibuit inquisitorias literas Capituli Strigoniensis, in quibus continebatur: ut idem Comes Joannes
 „ nes

„ nes feria 5. proxima post festum Pen-
 „ tecostes anno Domini 1299. villam,
 „ seu possessionem ejusdem Magistri
 „ *Wjhell* vocatam, in Comitatu de
 „ Zemlien existentem, item aliam pos-
 „ sessionem *Zumbur*, lite pendente de-
 „ struxisset, & quod insuper terram
 „ suam *Fejew* vocatam, & piscinas
 „ suas *Hodus*, *Tulman*, & *Taktha*
 „ vocatas de *Tychia* exeuntes indebite
 „ occupatas detinuisset. Igitur Domi-
 „ nus Andreas Illustris Rex Hungariæ
 „ Dominus noster, uua cum Magistro
 „ Demetrio Comite de Zolum, Thoma
 „ Comite Nitriensi, & Borsienfi, & no-
 „ biscum tanquam Vice-Judice Curie
 „ suæ, ac Nobilibus quam pluribus in
 „ omnibus actionibus ejusdem Magistri
 „ Kokos, videlicet dampno 100. mar-
 „ carum in combustione possessionis
 „ *Zumbur*, & occupatione terræ *Fejew*,
 „ & piscinarum *Hodos*, *Tolman*, &
 „ *Taktha* facto principali, item de-
 „ structione possessionis *Wjhell*, dam-
 „ pno 50. marcarum, destructione vil-
 „ læ *Zumbur* dampno 30. marcarum
 „ prædictum Comitem Joannem senten-
 „ tionaliter fore convictum decrevit,
 „ contra Magistrum Kokos supradictum.
 „ Dat. Budæ feria 6. proxima ante
 „ Dominicam Esto mihi, anno Domini

„ 1300. Ex Coll. Dip. Car. Fejérváry
„ Tom. III.

Anno 1318 Magistri Ladislaus, & Donch villam Ujhely pro castro Zemlien cum Comite Thoma cambiarunt, coram Conventu Leleszienfi. Ex Arch. Fam. Soós.

Anno 1321. Mych Bani filii Not. Hist. § 36. memorati Castrum Potok, & possessiones *Wjhel*, Ordow, Borfi, Knachy, Tay, & Thuronia, item castrum Zemlén, cum villa Ladomuch, velut bona sua aquisititia pro Castro Puruthián, ejusque appertinentiis cum Carolo Rege cambiarunt. Katona Tom. 8, pag. 431.

Anno 1352. Ujhely munificentia Ludovici I. Regis possedit Theodorus Keriatoovich Dux Ruthenorum, ædificatoque in edito monte Várhegy Castro, illud coloniis Rufsicis ita auxit, ut subsequere Civitas vocaretur. Nam

Anno 1390. Wjhely Regia Civitas nominatur, cum Castro prope eandem existente per Sigismundum Imp. Nicolao de Perén donata. Fasc. 211. Nro. 353. Arch. Zemp. ex post eodem heros, quos arx Patakina agnovit, ac hodie quoque ad ditionem Patakinam jure Camerae Regiæ administratur.

Anno 1497. Castellanus arcis fuit
Bla-

Blasius Földessy. Ellench. Buttkey. Fasc.
4. Nro 53.

Anno 1522. Lutheri dogma in Hungaria primum Ujhelini disseminari cœpit per Michaëlem Sziklosi, ante cladem adhuc Moháchianam Lutheri Wittebergæ auditorem. Uti id demonstrat Samuel Székely in suis Collec. Item Weszprémy in Biogr. Med. Cent. alt. part. post pag. 93. qui sic habet: „ Michael Sziklossy cum Anno 1522. haustam a Luthero doctrinam Eator-Ujhelini disseminare inciperet, alii vero ejus socii in ludo literario Patakini propugnarent, de novandi Studio accusati, Georgium Marchionem Brandeburgicum cum Regis Uladislai ex sorore nepotem, ejusque filii Ludovici II. tutorem protectorem invenerunt. Uti id testatur Scultetus in Postilla. Sed & refert Illustr. Kollarius in origine, & usu potestatis legislat. circa sacra Ap. Reg. Hungar. Windob. 1774. in 8. pag. 123. 124. Prout & Lampe in Hist. Eccl. pag. 54. 70. nec non Michael Szathmár Némethy in Præfat. ad Conciones suas Dominicales Claudiop. Anno 1675. typis procusa sic scribit: „ Anno 1522. Siklósy Mihály kezdte reformálni Ujhelyt. Ellene hozatott Ke-mény Articulus 54. Anni 1522. ut
M 4 „ Lu-

„ Lutherani , & eorum fautores pœna
 „ capitis , & ablatione omnium bono-
 „ rum puniantur. Item Art. 4. 1525.
 „ ut Lutherani comburantur.

Anno 1527. arx per Petrum Peré-
 nium obsidione pressa. Not. Hist. § 157.

Anno 1528 Simon Deák Perénius
 Præfectus per Præfidiarios exclusus arce
 Casparo Serédy Cæsareo Duci tradita.
 MSS. Kaprinay Tom. 27. pag. 306.

Anno 1534. arcem adhuc integram
 stetisse patet , cum Petrus Perénius ex
 illa literas § præcedente 51. provocatas
 ad Cives Cassovienses dederit , sed &
 Anno 1536. Nicolaus Oláhus in suis
 Commentariis Cap. II. de ea sic habet :
 „ Ujhely , & Terebes arces aggere extra
 „ mœnia circumductæ fortissimo.

Anno itaque 1558. per Emericum
 Telekesium ditionem hanc ferro , &
 igne vastantem , ne Perénianis receptui
 foret , dirui debuit , cum ex post nulla
 ipsius mentio occurrat , & triste nonnisi
 illius in ruderibus vestigium profert.

Anno 1697. Seditio Tokayana in
 nundinis Ujheliensibus erupit. Not. Hist.
 § 688.

Anno 1715. territorium Ujheliense
 immuni grandine quassatum : ut homi-
 nes , & pecora in campis mactarentur.
 Fasc. 232. Nro. 17. Arch. Zempl.

Anno

Anno 1758. 1764. 1768. subortis incendiis Oppidum fere ex integro conflavit. Fasc. 232. Nro. 18 Arch. Zempl.

Templum Parochiale Oppidi Anno 1482. Emericus de Pálócz extruxerat. Not. Hist § 128. quo tamen incendiis labefactato, & diruto, aliud, quod nunc visitur Anno 1770. inchoavit Princeps Joannes Guilelmus a Thrauzon, eoque sine maleculo hærede decedente consummavit Camera Regia.

Fuit illud Anno 1560. per Gabrielem Perénium confirmante factum ipso Maximiliano Imp. usibus Evangelicorum applicatum, uti in actis Diætæ Anni 1662. deducitur, quo anno per Sophiam Báthory Catholicis fuit restitutum. Not. Hist § 526. Anno 1670. per Evangelicos receptum. Anno 1673. pulsus Concionatoribus iterum Catholicis attributum, Anno 1682. per Emericum Tököly iterum Evangelicis traditum. Lampe Hist Eccl. pag. 597. Anno 1714. ultimo Catholicis redditum. Fasc. 189. Nro. 90. Arch. Zempl.

Anno 1733. navis templi fornice tecta, cum sequenti inscriptione, quam adhuc in pueritia nobis Notavimus

opitVLante Dei gratia, fornix Iste
In elVs gLorlaM, ereCtVs est.

M 5

Ipsa

Ipſa Catholica parochia amplis redditibus dotata, fuit privilegiata, a jurisdictione Episcopi Agriensis exempta, & Archi-Episcopo Strigoniensi subjecta, ut supra § 51. vidimus. Pertinent ad eam hodie dum amplissima prata *Papſzögh*, agri, vineæ, lacus piscosi *Pap-tava*, mola aquatica *Pap-malma*, educcilla duo, & macella, nec non vicus Oppidi *Pap-for* dictus.

Quin decima etiam frugum Oppidi non ad Episcopum Diæcesanum, sed ad Parochum pertinebat, uti Anno 1503. testatum reddit Petri Plebani de Ujhely cum Georgio Episcopo Bodoniensi, & Plebano de Sáros Patak ratione occupationis decimarum controversia Fasc. 232. Nro. 10. Arch. Zempl.

Præter hunc Petrum Plebanum, nonnisi sequentium Parochorum nomina ævi recentioris erui poterant:

Anno 1714. fuit Joannes Kilian.

Anno 1720. Andreas Püſpöky Canonicus, ex post Electus Episcopus Vovadrensis.

Anno 1735. Joannes Dely Canonicus.

Anno 1745. Joannes Gufztiny Canonicus, ex post Episcopus Nitriensis, qui

qui concionibus, & opere de SS. Eucharistia sub titulo: *Üdvösség mannaja* inclarui

Anno 1750. Stephanus Barta e S. J. dein Canonicus.

Anno 1760. Stephanus Csák Canonicus, exposit Abbas B. M. V. de Dömök.

Anno 1764. Josephus Kováts, prius Agræ multis annis Theologiam docuit, exposit Præpositus S. Stephani de Castro Agriensi, cui, quia fuit nimis proceræ staturæ, & singulari Nobis amicitia junctus, hoc Epitaphium posuimus:

HIC DORMIT Ioseph KOVÁTS paro-
ChVs, præpositVs VihelIensIs. —
Mensuram excessit carmen, & ille miser.

Anno 1778. Emericus Szöny.

Anno 1791. Stephanus Györky Præpositus B. M. V. de Ság.

1795. Georgius Szeldmajer de Buzitha Canonicus.

Augustanæ Confessionis ab Anno 1522. usque 1560. publicum exercitium Ujhelini non erat, sed ejus promotores Michael Sziklofsy, Michael Szilváfsy Andreas Batizy, & Matthias Dévay privatorum in Domibus conciones ad populum habebant.

Anno 1560. quamvis parochiale Ca-
tho-

tholicorum Templum iis traditum fuerit, major tamen populi pars doctrinam aspernabatur, tum ideo: quod seniores religioni Catholicae innutriti adhuc vixerint, tum: quod Confessionis principia per Synodum Tarczaliense-Tordensem, susceptasque per Gabrielem Perény ad Academias Wittebergensem & Lipsiensem legationis nondum satis constabilita, tum denique: quod Lazarus Schwendius Generalis homo exterus Art. 31. 1567. memoratus dogmatis hujus vel maxime promotor fuerit.

Anno 1600. Stephano, & Nicolao Bocskay, ac Valentino Drugeth Dynastis, cum potiore Nobilitatis Parte Fasc. 183. Nro. 7. Arch. Zempl. Helveticam Confessionem, quam (uti ex Proth. A. 6to. pag. 141. Arch. Zempl. apparet) *Magyar hit* vocabant, amplexis; primus sub revolutione Bocskaiana Ujhelinum inductus Helveticae Confessionis Minister Andreas Sárosy, successores in functione habuit:

1617. Matthiam Tiheméry.

Joannem Simándy.

Joannem Bényey.

1639. Valent. Géressy.

Michaëlem Kapossy.

Steph. Rimaszombathy.

1646. Joan. Irátossy.

1647.

1647. Caspar. Hatházy.
Steph. Benjam. Szilágyi.
Steph. Némethi.

1655. Steph. Kapoffy.

1662. Joannem Sólthy per Sophiam
Báthoream pulsum.

1670. Joannem Salánky.
Simonem Vadászy.

1673. expulsos.

1682. Gabrielem Nánássy.

1684. Franciscum Makay.

1685. 1699. Martinum Zádorházy.

Anno 1714. templo parochiali Ca-
tholicis reddito, ad ligneum Oratorium
cum exigua campana in vico *Pap-sor*
restricti sunt.

Anno 1781. publicata per Divum
Josephum II. Imp. tolerantia Christiana
in conspicuo oppidi loco novum Orato-
rium ex solidis materialibus, turri, &
campanis majoribus ornatum exstruxe-
runt, quo hodiedum gaudent.

Ordinis S. Pauli I. Eremitæ Patres,
regulam S. Augustini profitentes hic ce-
leberrimum, & antiquissimum Monaste-
rium ad S. Aegydiium habebant. Anti-
quissimum ideo dicebatur: quod postea-
quam primum Eremitarum in Patach
Comitatu Baranyiensis per Bartholome-
um Episcopum Quinque Ecclesiensem
Anno 1215. erectum Monasterium Tur-

cæ Anno 1526. evertissent, Ujheliensi Claustro nullum antiquius fuerit. Fundavit namque istud Andreas II. Rex Anno 1221. dum Patakini moraretur in Eremito prope oppidum Ujhely sita, a turri templi *Thuruny* dicta. Anno 1241. per Tartaros eversum Anno 1252. restauravit Bela IV. donata Patribus possessione *Petrahó*, ut supra § 50. monasterioque Anno 1258. ad locum commodiorem translocato, attributa Patribus Eremito sylvosa pone ipsum Oppidum, quæ dein coloniis infesta, nunc sub nomine Curia *Barátszer* venit. Ao. 1312. Carolus I. Ao. 1350. Ludovicus I. Reges confirmarunt, Joannes Comes supra § 51. nominatus foundationem auxit duabus piscinis in sylva *Longh Barát-tó & Casfató* vocatis. Ex Tabul. Ordinis.

Anno 1506. Michael de Buttka vineas *Tólcsvenfes*, Anno 1509. Laurentius Faber de *Toronya* pariter vineam, Ao. 1510. Ursula *Varju* unam sessionem in *Kelecsény* Patribus donavit.

Anno 1530. exturbavit Patres ex vinea *Thoronya* Gaspar *Dragffy*, ex Ujheliensi Cænobio, & possessione *Petrahó* Petrus *Perény*.

Anno 1560 cum parochiale Templum Evangelicis ea conditione cedendum Maximilianus Imp. non abnueret:

ut

ut vicissim Patres Paulini ad suum Cœnobium reducerentur, reducti sunt per Gabrielem Perénium.

Anno 1603, pulsi sunt per Bocskaianos bonis eorum in Fiscum Regni reductis.

Anno 1610. Claustrom, & bona sua iterum receperunt. Not. Hist. §. 378. & Art. 2. 1613.

Anno 1626. Templum eorum instauravit & ara majore illustravit Comes Melchior Allaghy. Not. Hist. § 437.

Anno 1665. sub Alphonso Skotniczky Vicario notabili accessione auctus Conventus. Franciscus Somogyi Præpositus Leleszientis prædivitem supellectilem eidem donavit, vidua Pesthiana Curiam, & hortum in Olaszi. Sophia Báthory vidua Georgii Rákóczy, ejusque filius Franciscus in compensationem injuriarum, per possessores Dominii Patlak Conventui illatarum celsit pagum Kiszte, prædium Komár, Curiam in Barancs, vineas Várallya, & Oremus cum uno fundo in Ujhely.

Anno 1672. invaserunt & expilarunt Conventum tumultuantes Hungari tempore indulgentiarum festo B. Aegydi celebrari solitarum.

Anno 1674. Patris Georgii Csepelény, per tumultuantes Patriæ Cives

Anno

Anno 1672. trucidati corpus corruptionis expers ex Farnofsiensi terreno extractum, in facelli per Rákoczium in perennem rei memoriam exædificati Chrypta honorifice tumulatum, cum inscriptione, quam Nicolaus Bengler Annal. Ord. Vol. 2. pag. 124. exhibet.

Anno 1678. pagi Olafzi, Zsadány, & Sára a fundatione Terebefsienfi avulsi, ad Conventum Ujheliensem applicati sunt.

Anno 1679. 23. Martii iterum invaserunt Cœnobium Tökölani cum sex armatorum centuriis, acrique illud oppugnatione ab hora decima meridiem præcurrente ad ipsam vesperam termis ex partibus premebant. Propugnarunt locum duo Patres Marcus Bessenyei, & Augustinus Szörény cum 30. viris, remque adeo strenue gerebant: ut incenso etiam Cœnobio, templo, vicinisque circum casis, & horreo conflagentibus propugnatores non cesserint, oppugnantes vero plurimis ex suis desideratis recedere debuerint.

Anno 1690. Stephanus Barlogh pagum Vitány Conventui in viginti mille florenis legavit.

Anno 1706. Franciscus Rákóczy mandaverat Clausstrum funditus exuri, ne receptaculo esset Cæsareis copiis, quæ

quæ Duce Generale Rabutinio ad obfione premendam Cafsoviam properabant. Sed mandato huic non paruit Dux Rákóczianus Comes Alexander Károly, locumque flammis destinatum fervavit.

Anno 1786. sublato ordine Paulinorum, Anno 1788. Patres Piarum Scholarum Tokaino ad hunc Conventum transpositi, Gymnasioque majore, & Collegio isthic erecto erudiendæ juventuti præfunt magno Reip. emolumento, uti § 34. indicavimus.

Paulinorum porro Conventum sequentes Vicarii, & Piores regebant:

1.	Joannes	-	-	-	-	-	Anno 1293.
2.	Laurentius	-	-	-	-	-	1310.
3.	Petrus	-	-	-	-	-	1312.
4.	Nicolaus	-	-	-	-	-	1354.
5.	Martinus	-	-	-	-	-	1367.
6.	Thomas	-	-	-	-	-	1393.
7.	Nicolaus	-	-	-	-	-	1449.
8.	Martinus	-	-	-	-	-	1454.
9.	Valentinus	-	-	-	-	-	1462.
10.	Vincentius	-	-	-	-	-	1465.
11.	Demetrius	-	-	-	-	-	1477.
12.	Casparus	-	-	-	-	-	1562.
13.	Michaël	-	-	-	-	-	1564.
14.	Georgius	-	-	-	-	-	1578.
15.	Mart. Koprinchic	-	-	-	-	-	1637.
	N						16.

16. Greg. Jaurinensis - - - - 1639.
17. Joan. Petroviczy - - - - 1640.
18. Osvál. Virostek - - - - 1642.
19. Joannes Vanoviczy, dein Ep.
Scardon. - - - - 1645.
20. Greg. Bibery dein Gen. Ord. 1659.
21. Alph. Skotniczky - - - - 1667.
22. Augus. Benkovics Gener. Or-
dinis, dein Ep. Varedin. 1667.
23. Ludov. Barilovics Gen. Ord. 1689.
24. Ladislaus Nádasdy, dein Ep.
Csanadiensis - - - - 1690.
25. Alex. Skolni - - - - 1696.
26. Steph. Eniczkey - - - - 1701.
27. Augus. Bolla - - - - 1713.
28. Euseb. Radovány - - - - 1714.
29. Bened. Flavy - - - - 1726.
30. Paul Vukovics - - - - 1723.
31. Joseph. Simonyi - - - - 1726.
32. Paul. Fejér - - - - 1732.
33. Paul. Leteney - - - - 1738.
34. Gerar. Bogovics - - - - 1744.
35. Jos. Kunktar - - - - 1747.
36. Joach. Kollarics. - - - - 1755.
37. Joseph. Keresztes - - - - 1707.
38. Laur. Orszag - - - - 1770.
39. Mich. Kuzlics - - - - 1758.
40. Hyeron. Marton - - - - 1773.
41. Franc Vidy - - - - 1776.

Cæterum Oppidum Ujhely 6000. in-
colarum, 2832. jugera agrogum glebæ
fer-

fertilis numerat, coloni Hungari, Germanis, Slavisque mixti diversas religiones profitentur, Romano, & Græco-Catholici sua templa, & parochos, Helvetici Oratorium, & Ministrum, quin & Judæi eximiam synagogam scholasque normales nationales habent. Augustani, & Græci non uniti Tokaino affiliantur. Ruthenorum hic Anno 1700. Archi-Præsbiter residebat.

Inter cultiora oppidi ædificiâ eminet ampla domus Comitatenlis, in qua Conventus provinciales celebrantur, complectens Tabularium provinciæ, artificiosæ structuræ carceres cum sacello, in quo Captivi sacerdotem Divina peragentem & audire, & videre possunt ex novem carceribus, & uno tridinio.

Alluitur Oppidum amne Ronyva, ponte lapideo strato, & quatuor molas aquaticas, Dominii, Oppidanorum, Parochi, & Harthaianam sustinente.

Terrenum Orientem versus longo tractu ambit Longhia sylva, glandium ferax, per cujus medium Bodrogus fluvius volvitur, & exquisitissimos carpiones, ac lucios Oppidanis suppeditat.

Montibus quoque præcipuis, & generosi vini feracibus clivis gloriatur Oppidum. Altissimus est *Magos hegy*, quem ignivomum olim fuisse crater,

& copiosa circa eum Lava prodit. Hunc sequitur *Sátor* in vertice expansi tentorii forma, prominentibus ex eo minoribus collibus castrorum speciem referentibus. Reliqui montes, & Clivi sunt: *Vár-hegy*, *Szár hegy*, *Bányai*, *Fekete-hegy*, *Köves-hegy*, *Boglyoska*, *Veres-harasz*t, *Tompa*, *Meleg-Ódal*, *Néma-hegy*, & *Czepe*. Prorumpunt ex his fontes salubres. Eorum præcipuus est *Berzsik* in area nundinarum, qui per subterraneos canales derivatus salit in platea principali ante domum Comitatensem cum maxima gloria salubritatis. Alter *Zsólyomka* in radice montis *Magos-hegy*, ubi in amœna valle series domorum ex utraque parte inter plateam a *Philomelarum* cantu *Fülemie úttza* vocatam. Tertius *Kómló-Kút* in plano inter agros. Quartus infra montem *Szár-hegy*, quintus infra clivium *Köves-hegy* sextus infra *Néma hegy Szent-János Kúttya* ideo vocatus: quod post festum Nativ. S. Joannis exarescat.

Nundinæ tota hac ora celeberrimæ diebus *Palmarum*, *B. M. Visitan*dis, *SS.* item *Ægydii*, & *Emerici* hic celebrantur. Sigillum Oppidi literam *W.* & annum 1505. refert.

Adjacent Oppido tria Diverticula: *Néma* ubi divertorium, *Unghvár* distincti

cti alicujus Oppidi speciem a longinquo præferens, ubi tamen nonnisi Cellaria in saxu friabili excisa, superne autem domus vineariæ habentur, excursionibus & computationibus incolarum accommodæ Tertium remotius diverticulum est *Hofzúláz*, per Josephum II. Imp. coloniis Suevicis infessum, quod jam distinctam ab Oppido possessionem efficiet.

Anno 1702. Franciscus Rákóczius in defluxu fluvii Ronyva novum Oppido vicum addiderat, eumque Prætorianæ suæ Cohorti *Palotás* dictæ Not. Hist § 726. memoratæ habitationi destinatum incolæ *Palotás úttza* dicebant, Rákóczius autem a loco natalitatis suæ *Borfi-szer* vocaverat, qui taliter etiam in Donatione Thrauczoniana supra § 51. compellatur. Fugiente Anno 1711. Rákóczio, ne vel memoria prætorianorum ejus superfit, solo æquata ædificia, Zingarisque in ruderibus casas suas figentibus Platea *Czigány úttza* vocari cæpit, sed in dies incrementum politiorum incolarum numero, ædificiisque cultioribus & hic positus, vicus oppido unitus tam veterem, quam recentiore nomenclaturam amisit, & nos etiam tantum pro illustranda vici *Borfi-szer* in Donatione Thrauczoniana comprehensi nomenclatura ortum,

& Metamorphosim illius hicce deduximus.

Accedit non postrema gloria Oppido etiam in eo quod celeberrimam patriæ, & ætatis nostræ Poëtriam Barbaram *Mólnár* pregeneraverit, & sinu suo foveat, cujus patria lingua conscripti versus sub titulo *Mólnár Borbála munkáji* sive acumen ingenii, sive ars Poëtica spectetur ejus sunt elegantia: ut merito Unive sæ nationis honori cedant: quod non tantum Galli, Angli, & Itali, sed nos quoque Hungari tam excellentis ingenii, & judicii fœmina gloriari possimus.

Nos quoque Eperiefsini quidem in lucem editi, sed avitæ portionis nostræ Ujheliensis possessores hoc in Oppido quondam floruimus, Elegiasque nostras, & Poëmata ad amnem *Ronyva* conscripsimus, uti perhibet Elegia totius vitæ nostræ cursum exhibens

Fragopoli primum vitales hausimus auras,

Prima urbs vagitus audiit ista meos.

Protinus infantem nitidas accepit in ulnas

Phœbus, & Aonidum, dixit, alumnus eris.

Parce puer lachrymis, venient & fletibus anni,

Hei

Hei mihi! fortunæ vulnera quanta
feres!

Aspice cænoſo ſpumantem vortice *Rony-*
vam,

Stant ubi Rutheni diruta caſtra Ducis.
Has quondam ad ſalices, hæc ad coryleta
canendo

Deduces Latias ex Helicone Deas.
&c. &c.

§ 53.

NAGY- & KIS-TORONYA, <sup>Nagy-
& Kis-
Tornya
pagi</sup>
olim Thurul, Turuny, Felsõ-alsõ-To-
ronia, duo pagi distincti, a turri Au-
gustinianorum sic dicti, qui hic domici-
lium in Eremo sylvosa pagi Nagy, seu
Felsõ - Toronya olim habebant. Ut
supra § 50. 52.

Anno 1221. Fundaverat hic Mona-
sterium Rex Andreas II. Anno 1241.
per Tartaros everſum, Anno 1258. Uj-
helinum translocatum, pagi Felsõ-To-
ronya medietate Patribus attributa.

Anno 1254. Terra Turonya per
Familias Uz, & de Tolchova redempta
est a filiis Simon. Not. Hist. § 24.

Anno 1281. Michael, & Ompud
coram Capitulo Agriensi testantur: quod
Farkasius de Emewd obligationi certæ
dotis satisfecerit, & ideo eidem posses-

sionem Turonya in Comitatu Zemlin reddiderint. MSS. Kaprinyay Tom. 1. pag. 249. 256.

Anno 1321. Micz Baniani posteri etiam possessionem Turonia pro Castro Purusthian permutarunt. Supra § 52.

Anno 1330. Joannes de Comitatu Potokiensi supra § 51. nominatus possessionis Felsõ-Toronya medietatem Monialibus Ordinis S. Claræ Patakini ad S. Annam degentibus donavit.

Anno 1380. Occupavit possessiones Nicolaus de Perén, sed Monialibus Felsõ-Toronya reddidit. Not. Hist. § 51.

Anno 1390. In possessorio pagi Kis-Toronya per donationem Sigismundi Regis confirmatus. Not. Hist. § 51.

Anno 1512. Felsõ-Toronya in dimidietate pertinebat ad Augustinianos, sive Paulinos Ujhelienses, altera medietate ad Moniales S. Claræ in Patak degentes pertinente. Wagner Tom. XV. pag. 164. MSS.

Anno 1530. Exturbavit possessorio Moniales, & Monachos Gaspar Drágffy, hocque in sexu virili extincto.

Anno 1578. devenerunt in possessorium Familiæ Dobó, per quam ad arcem Patak applicatæ possidebantur per heros arcis, donec Francisco II. Rákóczy perduellonis convicto Possessio Nagy-To-

Toronya sorori Aspremonthianæ cessisset, Kis-Toronya autem Principi Leopoldo Donato a Thrauczon per Carolum VI. Imp. donaretur, per cujus defectum rursus in Fiscum Regium devoluta, nunc per Cameram Regiam possidetur. Sunt præterea in Kis-Toronya Baronibus Sennyey duæ Curix a Comitibus Pethö in eos devolutæ.

Incoluntur ab Hungaris Catholicis, & Helveticæ Confessione addictis, quibus in Kis-Toronya oratorium est. Nagy-Toronya 1215. Kis-Toronya 481. jugera agrorum numerat agricolatione bona. Sunt utrique pago sylvæ quercinæ, & Clivi vini præstantioris feraces Mákos, Keletka, & Fekete-hegy dicti. In Classe tamen vinearum Submontanarum nonnisi Clivi, Kis-Toronyienses recensentur.

§ 54.

Reliqua etiam loca secundæ, & tertix Clasis sic descripta habemus; sed jam opus in majus volumen excrevit, Cum itaque omnium alioquin locorum descriptionem in Notitia Politica Comitatus daturi simus, tum ne eandem crambem repetere videamur, tum quia hæc in Classe submontanorum non comprehenderentur, a secundæ, & tertix

Secundæ
Tertix
Clasis
Loca
cur ex-
missa?

Classis locorum descriptione hic præscindimus.

§ 55.

De dis-
tractio-
ne vini
To-
kayni
promo-
venda
Opinio.

Si alicubi, in prærecensitis certe locis felix esset incolarum conditio, si distractionis vini melior modus iisdem suppeteret. Commertium istud vel maxime versus mare Balthicum cum nationibus Septemtrionalibus constabiliendum censeremus. Cum enim versus mare Adriaticum propter longinquum intermedium usque portum Fluminensem, vel Tergestinum terrestre iter, copiam item vinorum Italicorum, Gallicorum, Cypriorum, versus mare autem nigrum propter obstacula ditionum Turcicarum, & solius nationis Russicæ viciniam florens vini hujus commercium vix sperari possit, e contra situs partium istarum ita sit positus: ut per navigabilem fluvium Popradum ex Comitatu Scepusiensi in Vistulam defluentem omnia partium istarum producta in propingvo usque mare Balthicum beneficio aquæ transponi, & ibi non solum cum nationibus Septemtrionatibus Russis, Danis, Suecis, hoc naturæ producto carentibus, sed etiam cum Batavis, Anglis, quin majore Germaniæ parte per mare Ger-

Germanicum longe utilissimum commercium institui posset, hoc præ aliis constabiliri, & obstacula removeri deberent. Removerentur autem: si cum Rege Borussiae tractatus iniretur: ut vectigalia ad minus a Transportandis aliorum vinis (*Transito*) imminueret. Si vina pro mercibus illis extraneis, utpote pellibus, & aliis, quibus ditiores Cæsareo-Regiæ carent, permutarentur. Taliter optimo cum successu mercaturam olim exercebant quæstores, & pelliones Scepusienses, dum vina Tokayna pro pellibus in nundinis Lipsiensibus, Dresdæ, & Hamburgi permutabant. Similis permutatio institui posset cum Polonis, & Silesitis pro tela, cera cannabe. Posset augeri hoc commercium: Si Viennæ, Tergesti, & Flumine talis societas coalesceret, quæ merces Cæsarearum Fabricarum, Zacharum, fabasque Arabicas pro vinis Tokayensibus permutaret. Permutationem talem Optimo cum successu jam faciebant Tokayni Quæstores Stegner, & Kessala. Non exiguum exinde etiam in populum dimanat commodum: quod Imperator Russiae Residentem suum Tokayni habeat; quid si depositoria adhuc vinorum pro exercendo cum Russis Commercio Leopoli in terris Austriacis,
Kio-

Kioviæ, ac in Oczakov ad fluvios Boristhenem, & Bohum in terris Russicis instituerentur, & tam ibidem, quam Tokaini locietates mercatoriæ coalescerent?

§ 56.

Opinio
nonnul-
lorum
refelli-
tur.

Promovendum hoc commercium nonnulli putant: si diversæ qualitatis vina ad instar Gallicorum, Hispanicorum, Lusitanicorum, & Italicorum, ex vino quoque Tokajensi ordinario per excoctionem, ac spirituosum etiam potus, & liquores per distillationem conficerentur. Negare quidem non possumus: naturam arte juvari posse, & ideo excoctio spiritus vini ex briza, vel fœcibus: confectio vini absinthiaci, imprægnatio novi vasis, cui mustum infunditur, odore florum sambuci, aliaque innocua, quæ vel saporem, vel odorem vino conciliant, nullam subeunt reflexionem; sed quod excoctionem, aut artificiose procuratum dulcorem, vel effervescentiam adtinet: tantum distare nobis videtur vinum tale arte paratum ab illo, quod sol beneficus in ipsa matre vite paravit, quantum distant fragmenta Alchymistarum ab auro per matrem naturam in visceribus terræ parari solito. Excoctione impeditur debita fermentatio

tio, spiritu sæ particulæ avolant, dulcor sic præparatus successive vertitur in aciditatem, stabilis efervescentia paratur rebus abominabilibus, dulcor sæpe fanitati noxiis, uti plumbo, Color Sulphureo odore plurimis ardorem internum causante, & ideo sinceri Hungari maneamus in posterum etiam in prisca gentis, viniq̄ nostri sinceritate, quæ nobis creditum apud Exteros hactenus conciliavit. Ipse Wanierus dum confectionem vinorum Gallicorum arte paratorum describit, & docet, optime subjungit:

Divitibus quicumque volet fucata venenis
Dolia corrumpat, tu purum a vite Lyæ-
um

Semper ama, medicata placent, sincera
ruentem

Vina foveant stomachum-

§ 57.

Ad provehendam sortem incolarum nonnulli autumant: legem etiam illam Regni Art. 12. 1729. qua coemptio Uvarum passarum non possessionatis est prohibita, mitigandam, confectionemque vinorum irrestricte omnibus tam indigenis, quam alienigenis concedendam veni-

Obser-
vatio
nonnullorum
de Art.
12 1729.

venire. Hi pro motivis adducunt: quod extranei natura ad commercia nobis accomodatiora in societatem potius alligandi, quam alienandi veniant. Quod non possessionati quoque onera publica ferant, & ideo conveniens sit: ut ex commo pariter publico participant. Quod per tales quoque productum istud intra-Regnanum consummatur, & educatur, consumptionis vero, & educationis fontes non præcludendi, aut potius in plures ramos aperiendi. Quod fraudes non aliæ præmetui possint, quam vel substitutio vilioris vini, & uvarum occasione vindemiæ, vel adulteratio per artificiose procuratum dulcorem. Priorem sat, superque præcavent Magistratus Comitatus, localis, & Domina Terrestalia, posterior coëmptione Uarum passarum non fit, sed alia ratione, unde stante etiam lege apud Diversitores nunquam sufficienter præcavebitur, & plerumque impunita manet. Denique obtendant experientiam optimam rerum Magistratam Regnante Divo Josepho II. Imp. ostendisse: indultum tunc omnibus promiscue liberum cum uvis passis quæstum nullo profus incolarum damno, quin cum lucro intervenisse. Libertas hæc plurimos præsertim extraneos ad emendum allexit, per concursum plurimum

rium emptorum musti, & uvarum pas-
 farum pretium adeo increvit: ut pro
 felicissimo reputaretur, qui occasione
 vindemiæ mustum, & uvas passas di-
 strahere poterat, plebsque Contribuens,
 cujus ratio haberi debet, plurimum pa-
 rati æris ex concursu tali emptorum par-
 ticipavit.

§ 58.

Quæ argumenta num tanti sint pon- Conclu-
 deris: ut abrogandam, vel mitigandam ^{lio}
 Patrum legem exigant? Patribus Patriæ
 expendenda substernimus. Judæi certe
 propter innatas iisdem fraudes, & a
 montanis Civitatibus arcentur, & *Cre-*
ditum Nationis conditæ præmissæ legis
 fuit ratio, &

F I N I S.

